

# LIBELLVS

PIARVM PRECVM

AD VSVM PVERITIAE.

*apud Diuum Gereonem*

*Coloniae Agrippae*

*pinæ.*

*Per Ioannem Gropper Doctorem,*

*eiusdem Ecclesiae*

*Scholasticum.*

*Quae hoc Libello continentur, indicat  
sequens pagella.*

*Coloniae Martin. Gymnicus excus-  
debat, Anno M. D. XLVI.*

**1** Quomodo precandum mane cum  
surgis, cum domo egrederis, & cum  
templum inuisis.

**2** Horaria commemoratio incarnatio-  
nis Dominicæ cum precibus quæ  
Collectæ uocantur.

**3** Horaria commemoratio Dominicæ  
passionis cum precibus.

**4** Preces pro remissione peccatorum &  
pace Ecclesiæ. Litanie ecclesiasticæ.

**5** Preces ad Missæ sacrum responden-  
tes singulis Missæ partibus.

**6** Preces dicendæ ante sacram Commu-  
nionem.

**7** Precationes & laudes quocunq; tem-  
pore dicendæ.

**8** Benedictio mensæ. Gratiarum actio  
post cibum.

**9** Preces cum uadis cubitum.

# IOANNES

GROPPER D. LV.

magistro apud Diuum

Gereonem.



Vando tibi nuper Ca  
pita institutionis ad pie  
tatem pueris tuæ curæ  
concreditæ exponenda  
tradebam; rogabas ut libellus  
quoque piarum precum, ex Prophe  
tæ & Apostolicis scripturis &  
S. patribus, uerbis in Ecclesia rece  
ptis & usitatis decenti breuitate  
concinnarem: Vnde tenelli animi,  
& colloqui cum Deo discerent, et  
precando simul ad sacrarum scriptu  
rarum intellectum, fidei nostræ my

A 2 sterijs

serijs oblectati, assurgeret, cano-  
nicis ecclesie precibus sensim assue-  
scent, & ecclesiasticam imberent  
pietatem, praesertim quae aiebas, &  
uere quidem, in formulis precum  
quas Sectae subinde inuulgant idem  
quod in Catechismis usu uenire, ut  
uidelicet in illis multa reperias quae  
catholicam auersentur pietatem, multa  
uicissim substituta, quae etsi specioso  
uerborum inuolucro tegantur, haeretici-  
cam tamen redoleant impietatem. En  
babes quod petebas. Tu uide ne om-  
nino frustra hanc iam alteram opellam  
in gratiam iuuentutis sumpsisse ui-  
dear, quod certe sic effeceris, si pue-  
ros quod chartis illitum est, non mo-  
do legere sed & intelligere ac me-  
ditari doceas, hoc est, ut precentur

&

Et psallant non ore tantum, sed et  
mente: oremus; Deum qui spiritus  
est per Christum Iesum propitia-  
torem, Mediatorem et saluato-  
rem nostrum in spiritu et ueritate.  
Quem precor ut tibi docenti salus-  
taria suggerat et paruulis inuo-  
cantibus eum simplici corde spiri-  
tum suum bonum impertiat, qui illos  
et in omnem ueritatem ducat, et  
ad omne opus bonum alacres  
efficiat et apparatus,  
Amen.

**A 3 MANE**

3 M A N E

C V M S V R G I S S I

G N A T E S I G N A C V L O S A N

ctæ Crucis in fronte & in pectore

dicens.

*In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

Et statim subiunge orationem Ecclesie quæ sequitur.



**D** O M I N E sancte pater omnipotens æterne Deus, qui nos peccatores ad principium huius diei, non nostris meritis, sed tua sanctissima gratia peruenire fecisti; tua nos salutavitute & concede, ut in hac die, ad nullum declinemus peccatum, nec ullum incurramus periculum aut scandalum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur simul cogitationes & opera. Adsit nobis quæsumus

sumus Domine uirtus Spiritus sancti, quæ  
& corda & corpora nostra clementer ex-  
purget, & ab omnibus semper tueatur ad-  
uersis, per dominum nostrum Iesum Chri-  
stum filium tuum, qui tecum uiuit & re-  
gnat in unitate eiusdem Spiritus sancti De-  
us, per omnia secula seculorum, Amen.

*Deinde dic Symbolum Apostoli-  
cum cum hac præfatiuncula.*

**A** Breuncio tibi Satana & omnibus  
pompis & operibus tuis.

Et credo in Deum patrem, &c. usq; in  
finem Symboli. Cui subiunge orationem  
Dominicam: Pater noster qui es in cœ-  
lis, &c. cum Angelica salutatione: Aue  
Maria gratia plena, &c. Et conclude ora-  
tionem tuam sequenti prece Ecclesiæ, ad  
sanctissimam Trinitatem.

**D**irigere & conseruare dignare Do-  
mine sancte pater omnipotēs æter-  
ne Deus, rex cœli & terræ, hodiè & quo-  
tidie corda & corpora nostra, sensus quo-  
que & sermones & omnes actus nostros  
in uia & lege mandatorum tuorum, præ-

Angelum  
pactis, & de  
lem ducē,  
custodem  
animarū  
& corporū  
nostrorū  
a domino  
postule-  
mus. In  
Letania  
Chrysoft.  
Ex doctri-  
na Chry-  
softo. Ho-  
mil. 21  
Rom. 4

sta nobis facere uoluntatem tuam, ut mi-  
sericordiam tuam inuenire mereamur, et  
ut placere possimus in conspectu filij tui:  
Angeli tui boni comitentur nobiscum,  
ad dirigendos pedes nostros in uiam pa-  
cis, prosperitatis & salutis; ut hic & in æter-  
num per te & in te, salui, sani, & liberi esse  
mereamur rex gloriæ. Qui in Trinitate  
perfecta uiuis & regnas Deus per omnia  
secula seculorum, Amen.

*Cum e cubiculo seu domo egrede-  
ris, impresso signo crucis fronti  
& pectori dic:*

Ioan. 14 **A** Breuncio tibi Satana, & adhæreo  
tibi Christe, qui es uia, ueritas, &  
uita.

Psal. 85 **D**educ me Domine in uia tua, ut ingre-  
diar in ueritate tua. Lætetur cor meum  
& timeat nomen tuum.

Psal. 14 **V**ias tuas Domine demonstra mihi, & se-  
mitas tuas edoce me.

**Dirige me in ueritate tua & doce me.**  
Quia



Quia tu es Deus saluator meus, & te  
sustinui tota die.

Eripe domine animam meam de morte,  
& pedes meos de lapsu, ut placeam co-  
ram Deo in lumine uiuentium.

Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non  
moueantur uestigia mea. Psalm. 14

Gressus meos dirige secundum eloquium  
tuum: ut non dominetur mei omnis  
iniustitia. Psalm. 118

Qui ex nihilo creasti nos, & per filium  
tuum redemisti nos, & per spiritum  
sanctum tuum sanctificasti nos. Tibi  
gloria in secula seculorum, Amen. August.  
lib. Medio  
ca. 11

*Ingressurus templum dic.*

**I**nroibo in domum tuam, adorabo ad  
templum sanctum tuum, & confitebor  
nomini tuo in timore tuo. Psalm. 5

*Ingressus attende quod beatus*

*Cyprianus monet dicens:*

**Q**vando stamus ad orationem fra-  
tres dilectissimi, uigilare & incum-  
bere ad preces toto corde debemus. Co-

Cypria. in  
sermo. de  
oratione  
dnica.

A S gitatio

Piratio omnis secularis & carnalis abice-  
dat. Neque quicquam tunc animus, quam  
ad solum cogitet quod precatur. Ideo &  
Sacerdos ante orationem præfatione præ-  
missa parat fratrum animos dicendo: Sur-  
sum corda, ut dum respondet plebs, Ha-  
bemus ad dominum, admoneatur nihil  
aliud se, quam dominum cogitare debe-  
re. Quæ enim segnitia est alienari & capi  
ineptis cogitationibus & prophanis, cum  
dominū deprecaris, quasi sit aliud quod  
magis debeas cogitare quam quod cum  
Deo loquaris?

Item.

Cogitemus nos sub conspectu Dei sta-  
re, placendum est diuinis oculis, & habitu  
corporis, & modo uocis.

Obuersetur semper oculis quod domi-  
nus Iesus, rebus alijs quam orationi in  
templo Dei uacantes, flagello facto de fu-  
niculis magna seueritate eiecit de templo  
dicens: Domus mea domus orationis  
uocabitur.

Terreat quod scriptum est: Populus  
hic labijs me honorat, cor autem eorum  
longe

Matth. 21  
Ioan. 2

Esaiæ 56

Esaiæ 29

longe est à me, ut non aliud habeamus  
in corde, aliud in uoce. Cum intentione  
sincera dominum debeat non uocis so-  
nus, sed animus & sensus orare.

Cypria  
sermo. 18  
Orat. do-  
minicam.

**S E Q V I**  
**T V R B R E V I S E T**  
*succincta Horaria commemoratio  
dominicæ incarnationis, in laudem  
gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ  
uirginis Mariæ, ex Psalmis &  
Prophetijs, ecclesiasticisq; canticis,  
his pulchrè respondentibus, & pijs  
precibus cõtexta, in usum pueritiæ  
donec prouecta ad ordinem clerica-  
lem, prolixioribus precibus in hac  
diœcesi usitatis se alliget.*

*Ad Matutinas.*

**DOMI**

Psalm. 50

Psalm. 69



DOMINE labia mea aperies, Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adiutoriū meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Gloria patri & filio & spiritui sancto, Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum Amen. Haleluia.

A Septuagesima usque ad Pascha dicitur Laus tibi domine, rex æternę glorię.

Inuitatorium.

*In honore beatissimę Marię uirginis iubilemus domino.*

Psalmus 94.



Enite exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terrę, & altitudines montium ipse conspicit.

Quo-

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud; & aridam fundauerunt manus eius, uenite adoremus & procidamus coram domino qui fecit nos, quia ipse est dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.

Hodiè si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto ubi tentauerunt me patres uestri probauerunt & uiderunt opera mea.

Per istud  
Hodiè intelligitur  
tēpus gratiæ & salutis p̄ Christi  
stū allatę.  
Hebr. 1. 4  
2. Cor. 6

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde: ipsi uerò non cognouerunt uias meas, quibus iuraui in ira mea: si introibunt in requiem meam.

Gloria patri & filio & spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, Amen

Repetitio.

In honore beatissimæ Mariæ uirginis iubilemus domino.

*Psalmus 44.*

*Eructa.*

Præfatio  
Epithalamii  
regis  
Christi.  
Christus  
Sponsus.

Gladius  
uerbi euā  
gelici.

Euangelii  
uerbū con  
uertens  
corda im  
piorum.  
Regnum  
Christi  
dei nostri  
sempiter  
num.  
Christus  
unctus spi  
ritu san  
cto.  
Sponsa  
Ecclesia.

**D**ilectauit cor meum uerbum bonum:  
dico ego opera mea regi. Lingua  
mea calamus scribæ: uelociter scribentis.  
Speciosus forma præ filiis hominum,  
diffusa est gratia in labijs tuis: propterea  
benedixit te Deus in æternum. Accinge  
re gladio tuo super femur tuum poten  
tissime. Specie tua & pulchritudine tuas  
intende prospere, procede, & regna.  
Propter ueritatem & mansuetudinem &  
iustitiam: & deducet te mirabiliter dexte  
ra tua. Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te)  
cadent in corda inimicorum regis. Se  
des tua Deus in seculum seculi: uirga di  
rectionis uirga regni tui. Dilexisti iusti  
tiam & odisti iniquitatem: propterea un  
xit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ  
confortibus tuis. Myrrha & gutta &  
cassia à uestimentis tuis à domibus ebur  
neis: ex quibus delectauerunt te filia re  
gum in honore tuo. Astitit regina à de  
xtris tuis in uestitu deaurato: circumdata  
uarietate. Audi filia & uide & inclina  
aurem tuam: & obliuiscere populum tuum  
& domum patris tui. Et concupiscet rex  
deco-

decorem tuum: quoniam ipse est domi-  
nus Deus tuus: & adorabunt eum. Et  
filie Tyri in muneribus: uultum tuum  
deprecabuntur omnes diuites plebis.  
Omnis gloria eius filie Regis ab intus in  
simbrijs aureis: circumamicta uarietati-  
bus. Adducentur Regi uirgines post  
eam proximæ eius offerentur tibi. Offe-  
rentur in lætitia & exultatione: adducentur  
in templum Regis. Pro patribus tuis  
nati sunt tibi filij: constitues eos principes  
super omnem terram. Memor ero no-  
minis tui domine: in omni generatione  
& generationem. Propterea populi con-  
fitebuntur tibi in æternum: & in seculum  
seculi. Gloria patri, &c.

Patriar-  
chis & p̄  
phetis, A  
postoli  
successe-  
runt.

*Antiphona.*

Benedicta tu in mulieribus & benedictus Luc. 1  
fructus uentris tui.

*Versiculus.*

Dignare me laudare te uirgo sacrata,  
Da mihi uirtutem contra hostes tuos.

*Pater noster, &c. Ave Ma. &c.*

Bene-

Benedi-  
ctio.

Benedictione perpetua benedicat nos  
pater æternus. Amen.

### Lectio prima.

Gene. 3.

Peccatū.

Serpens  
decepit  
mulierē.  
Maledici-  
tur serpens

Mulier  
uirgo Ma-  
ria.  
Apoc. 12  
Semē eius  
Iesus sal-  
uator.

**V**Ocauit Deus Adam & dixit ei, ubi  
es? Qui ait, uocem tuam domine  
audiui in Paradiso & timui, eo quòd nu-  
dus essem & abscondi me. Cui dixit do-  
minus, Quis enim indicauit tibi quòd nu-  
dus esses: nisi quòd ex ligno, ex quo præ-  
ceperam tibi ne comederes, comedisti.  
Dixitq; Adam: Mulier quam dedisti mi-  
hi sociam dedit mihi de ligno & comedi.  
Et dixit dominus Deus ad mulierem:  
Quare hoc fecisti? Quæ respondit. Ser-  
pens decepit & comedi. Et dixit domi-  
nus Deus ad serpentem. Quia fecisti hoc  
maledictus es inter omnia animantia &  
bestias terræ. Super pectus tuum grade-  
ris, & terram comedes cunctis diebus ul-  
tæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mu-  
lierem, & inter semen tuum, & semen il-  
lius, ipsum conteret caput tuum & tu in-  
fidiaberis calcaneo eius. Tu autem do-  
mine



mine miserere nostri. Deo gratias.

*Responsorium.*

Natiuitas tua Dei genitrix uirgo, gaudium annunciauit uniuerso mundo: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster; qui soluens maledictionem dedit benedictionem. Et confundens mortem donauit nobis uitam sempiternam.

*Versiculus.*

Aue Maria gratia plena dominus tecum.

Repetitio.

Et confundens mortem.

*Benedictio.*

Deus Dei filius nos benedicere & adiuuare dignetur.

*Lectio secunda.*

Gene. 12.

**D**ixit dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & ueni in terram quam monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

Promittitur Christus per Mariam ex semine Abraham.  
Gene. 22

Christus secundo promittitur Abraham.

dixit. Benedicam benedictibus tibi, atque in te benedicentur uniuersae cognationes terrae. Vocauit autem angelus domini Abraham secundo de caelo dicens: Per memetipsum iuravi dicit dominus, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, & uelut arenam quae est in litore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti uoci meae. Tu autem domine, &c.

### Responsorium.

Isaia 11

Quando nata est uirgo sacratissima, tunc illuminatus est mundus, stirps beata radix sancta. Et benedictus fructus eius.

### Versus.

Gene. 49

Pulchriores sunt oculi eius uino, & dentes eius lacte candidiores.

Repetitio.

Et benedictus.

Benedictio.

Spiri-

Spiritus sancti gratia illuminare dignetur  
corda & corpora nostra.

*Lectio tertia.*

Esaiæ II.

**E**gredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Non secundum uisionem oculorū iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitiā pauperes, & arguet inæquitate pro māsuetis terræ. Et percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Tu autem domine.

Christus  
nascitur  
promittitur.

Christus  
rex gen-  
tium.

Tertullia,  
de carne  
Christi, &  
aduersus  
Iudæos.

*Responsorium.*

Stirps Iesse uirgam produxit, uirgaq;  
B 2                      florem.

Bernard.  
sermo. 2.  
in aduen-  
tu dñi.

florem. Et super hunc florem requiescit  
spiritus almus.

*Versiculus.*

Virgo Dei genitrix uirga est, flos filius  
eius.                      Repetitio.

Et super hunc, &c.

*Canticum beatorum Ambro-  
sij & Augustini.*

**T**E Deum laudamus : te dominum  
confitemur. Te æternum patrem,  
omnis terra ueneratur. Tibi omnes an-  
geli : tibi cœli & uniuersæ potestates.  
Tibi Cherubim & Seraphim, incessabili  
uoce proclamant. Sanctus. Sanctus.  
Sanctus dominus Deus Sabaoth. Pleni  
sunt cœli & terra, maiestatis gloriæ tuæ.  
Te gloriosus Apostolorum chorus. Te  
Prophetarum laudabilis numerus. Te  
martyrum candidatus, laudat exercitus.  
Te per orbem terrarum, sancta confite-  
tur Ecclesia, Patrem immensæ maiesta-  
tis. Venerandum tuum uerum, & uni-  
cum filium. Sanctum quoq; paracletum  
spiri-

Spiritum. Tu rex gloriæ Christe. Tu  
patris sempiternus es filius. Tu ad libe-  
randum suscepturus hominem, non hor-  
ruisti uirginis uterum. Tu deuictō mor-  
tis aculeo, aperuisti credentibus regna  
cœlorum. Tu ad dexteram Dei sedes,  
in gloria patris. Iudex crederis esse uen-  
turus. Te ergo quæsumus tuis famulis  
subueni, quos precioso sanguine redemi-  
sti. Aeterna fac cū sanctis tuis gloria mū-  
nerari. Saluum fac populum tuum do-  
mine, & benedic hæreditati tuæ. Et rege  
eos, & extolle illos usq; in æternum. Per  
singulos dies, benedicimus te. Et lauda-  
mus nomen tuum in seculum, & in secu-  
lum seculi. Dignare domine die isto, sine  
peccato nos custodire. Miserere nostri  
domine, miserere nostri. Fiat misericor-  
dia tua domine super nos, quemadmo-  
dum sperauimus in te. In te domine spe-  
raui, non confundar in æternum.

*Vers.*

Ora pro nobis sancta Dei genitrix.  
Ut digni efficiamur p̄missionibus Christi

B 3 Ad

*Ad Laudes.*



EV S in adiutorium meum  
intende. Domine ad adiu-  
uandum me festina. Gloria  
patri. Sicut. &c.

*Psalm. 66.*

**D**Eus misereatur nostri & benedicat  
nobis: illuminet uultum suum su-  
per nos, & misereatur nostri. Ut cognos-  
camus in terra uiam tuam: in omnibus  
gentibus salutare tuum. Confiteatur tibi  
populi Deus: confiteantur tibi populi om-  
nes. Latentur et exultent gentes, quonia  
iudicas populos in æquitate, & gentes in  
terra dirigis. Confiteantur tibi populi De-  
us: confiteantur tibi populi omnes: terra  
dedit fructum suum. Benedicat nos Deus  
Deus noster, benedicat nos Deus: & me-  
tuant eum omnes fines terræ. Gloria pa-  
tri & filio & spiritui sancto. Sicut erat in  
principio, & nunc & semper, & in secula  
seculorum, Amen.

Christus  
salutare  
Dei.

Terra my-  
sticè uir-  
go Maria

*Antipho.*

O Ad.

O admirabile commercium, creator  
generis humani, animatum corpus assu-  
mēs de uirginē, nasci dignatus est: & pro-  
cedens homo sine semine, largitus est no-  
bis suam deitatem. 2. Petri 1

*Capitulum. Esaiæ 7.*

**D**abit dominus ipse uobis signum. Promittitur Christus.  
Ecce uirgo concipiet & pariet filiū,  
& uocabitur nomen eius Emmanuel. Bu-  
tyrum & mel comedet, ut sciat reprobare  
malum & eligere bonum: Deo gratias.

*Vers.*

Creauit dominus nouum super terram,  
foemina circumdabit uirum. Natiuitas Christi  
prædicat.  
Hier. 31

*Canticum Zachariæ.*

**B**enedictus dominus Deus Israël: quia Nunciat  
Christum  
promissū  
uenisse.  
uisitauit & fecit redemptionem ple-  
bis suæ. Et erexit cornu salutis nobis:  
in domo David pueri sui. Sicut locutus  
est per os sanctorum: qui à seculo sunt  
prophetarum eius. Salutem ex inimi-  
cis nostris: & de manu omnium qui ode-  
runt nos. Ad faciendam misericordiam

Gene. 22

Ioannis  
officiū do  
cere Chri  
stū uenisse  
in remissi  
onem pec  
catorum.

cum patribus nostris; & memorari testa-  
menti sui sancti. Iusiurandum quod iu-  
rauit ad Abraham patrem nostrum: datu-  
rum se nobis. Ut sine timore de manu  
inimicorum nostrorum liberati, serula-  
mus illi. In sanctitate & iustitia coram  
ipso, omnibus diebus nostris. Et tu puer  
Propheta altissimi uocaberis: præibis enim  
ante faciem domini parare uias eius. Ad  
dandam scientiam salutis plebi eius: in  
remissionem peccatorum eorum. Per  
uiscera misericordiæ Dei nostri, in qui-  
bus uisitauit nos oriens ex alto. Illumi-  
nare his qui in tenebris & in umbra mor-  
tis sedent, ad dirigendos pedes nostros  
in uiam pacis. Gloria patri. Sicut  
erat, &c.

### *Antipho.*

*Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis,  
In tua se clausit uiscera, factus homo.  
Vera fides geniti purgauit crimina mundi,  
Et tibi uirginitas inuiolata manet.*

Domine exaudi orationem meam, Et  
clamor meus ad te ueniat. Oremus.  
Deus



**D**Eus q de beatæ Mariæ uirginis ute  
ro, uerbum tuum angelo annunci-  
ante carnem suscipere uoluisti, præsta sup-  
plicibus tuis; ut qui uere eam genetricem  
credimus, eius apud te intercessionibus  
adiuuemur: Per eundem dominum no-  
strum Iesum Christum, &c.

*Ad Primam.*

**Aue** Maria gratia plena dominus te-  
cum, &c.

**D**Eus in adiutorium meum intende:  
Domine ad adiuuandū me festina.  
Gloria patri. Sicut. &c.

*Hymnus Fortunati Episcopi.*

Quem terra, pontus, æthera,  
Colunt, adorant, prædicant,  
Trianam regentem machinam,  
Clastrum Mariæ baiulat.

Beata cœli nuncio,  
Fœcunda sancto spiritu,  
Desyderatus gentibus,  
Cuius per aluum fusus est.

Gloria tibi Domine,

B S Qui

Qui natus es de uirgine,  
Cum patre & sancto spiritu,  
In sempiterna secula.  
Amen.

*Psalmus 71.*

De regno  
Christi &  
gentium  
uocatione.

Regnum  
Christi æ-  
ternum.  
Noua  
Christina  
ciuitas ob  
umbratio-  
ne spūs-  
sancti.

**D**Eus iudicium tuum regi da, & iu-  
stitiam tuam filio regis. Iudicare  
populum tuum in iustitia: & pauperes tu-  
os in iudicio. Suscipiant montes pacem  
populo: et colles iustitiam. Iudicabit pau-  
peres populi, & saluos faciet filios paupe-  
rum, & humiliabit calumniatorem. Et  
permanebit cum sole, & ante lunam, in  
generatione et generationem. Descen-  
det sicut pluuia in uellus, & sicut stillici-  
dia stillantia super terram. Orietur in  
diebus eius iustitia & abundantia pacis:  
donec auferatur luna. Et dominabitur à  
mari usq; ad mare, et à flumine usq; ad ter-  
minos orbis terrarum. Coram illo pro-  
cident Aethiopes: & inimici eius terram  
lingent. Reges Tharsis & Insulæ, mune-  
ra offerent: reges Arabum & Saba dona  
adducent. Et adorabunt eum omnes  
reges:

reges: omnes gentes seruient ei. Quia  
liberabit pauperem à potente: & pauperem  
cui non erat adiutor. Parcet pauperi  
& inopi: et animas pauperum saluas faciet.  
Ex usuris & iniquitate redimet animas  
eorum: & honorabile nomen eorum  
coram illo. Et uiuet & dabitur ei de auro  
Arabia: et adorabunt de ipso semper: tota  
die benedicent ei. Erit firmamentum in  
terra in summis montium, superextolletur  
super libanum fructus eius: & flore-  
bunt de ciuitate sicut scœnum terræ. Sit  
nomen eius benedictum in secula: ante  
solem permanet nomen eius. Et benedi-  
centur in ipso omnes tribus terræ: omnes  
gentes magnificabunt eum. Benedictus  
dominus Deus Israël, qui facit mirabilia  
solus. Et benedictum nomen maiestatis  
eius in æternum: & replebitur maiestate  
eius omnis terra fiat fiat. Gloria pat. &c.

Per Christum  
benedictio om-  
nium gen-  
tium.

### *Antiphona.*

Quando natus es ineffabiliter de uir-  
gine, tunc impletæ sunt scripturæ, sicut  
pluuia in uellus descendisti, ut saluum fa-

ceres

ceres genus humanum, te laudamus De-  
us noster.

*Capitulum, Esaie 45.*

**R**orate caeli desuper, & nubes pluāt  
iustum, aperiatur terra & germinet  
saluatorem. Deo gratias.

Christe fili Dei uiui, miserere nobis.  
Qui natus es de uirgine, miserere, &c.  
Gloria, &c. Christe.

Vers.

*Psalm. 117*

Benedictus qui uenit in nomine do-  
mini: Deus dominus & illuxit nobis.

Kyrieleyson. Christeeleyson. Ky-  
rieleyson. Pater noster. Aue Maria.

Vers.

*Ioan. 1*

Verbum caro factum est: Et habita-  
uit in nobis. Credo in Deum patrem.

Vers.

*Psalm. 97*

Notum fecit dominus salutare suum.  
In conspectu gentium, reuelauit iustitiam  
suam.

Domine exaudi orationem, &c.

*Oremus, &c.*

Deus

**D**Eus qui per beatæ Mariæ uirginis partum, sine humana concupiscencia procreatum, in filij tui membra uenientes, paternis fecisti præiudicijs non teneri, præsta quæsumus: ut huius creaturæ nouitate suscepta, uetustatis antiquæ contagijs exuamur, Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

*Ad Tertiam.*

Aue Maria, &c.

**D**Eus in adiutoriū meū intende, &c.  
Gloria patri, &c. Sicut erat, &c.  
Haleluia.

*Hymnus Fortunati.*

Cui Luna, sol & omnia,  
Deseruiunt per tempora,  
Perfusa cœli gratia,  
Gestant puellæ uiscera.

Beata cœli nuncio,  
Fœcunda, &c.  
Gloria tibi domine, &c.

*Psal-*



**C**Oeli enarrant gloriam Dei: & ope-  
 ra manuum eius annunciat firma-  
 mentum. Dies diei eructat uerbum: et  
 nox nocti indicat scientiam. Non sunt  
 loquelæ neq; sermones: quorum non au-  
 diantur uoces eorum. In omnem terram  
 exiuit sonus eorum: et in fines orbis terre  
 uerba eorum. In sole posuit tabernacu-  
 lum suum: et ipse tanquam sponsus pro-  
 cedens de thalamo suo. Exultauit ut gi-  
 gas ad currendam uiam: à summo cœlo  
 egressio eius. Et occursum eius usque ad  
 summum eius: nec est qui se abscondat à  
 calore eius. Lex domini immaculata,  
 conuertens animas, testimonium domini  
 fidele: sapientiam præstans paruulis. Iu-  
 stitiæ domini rectè lætificantes corda: præ-  
 ceptum domini lucidum illuminans ocu-  
 los. Timor domini sanctus permanens  
 in seculum seculi, iudicia domini uera iu-  
 stificata in semetipsa. Desiderabilia super  
 aurum & lapidem preciosum multumq;  
 et dulciora super mel et fauum. Etenim

seruus

Christi so-  
 lis iustitiæ  
 natiuitas  
 secundum  
 carnem.

Lex Dei  
 & Euan-  
 gelium.

Seruus tuus custodit ea: in custodiendis  
illis retributio multa. Delicta quis intel-  
ligit ab occultis meis munda me: et ab  
alienis parce seruo tuo. Si mei non fue-  
rint dominati tunc immaculatus ero: et  
emundabor a delicto maximo. Et **Q**uoniam  
ut coplaceant eloquia oris mei: et medita-  
tio cordis mei in conspectu tuo semper.  
Domine adiutor meus: et redemptor  
meus. Gloria patri.

*Antipho.*

Rubum quem uiderat Moyses in com- Exod. 3  
bustum, conseruatam agnouimus tuam  
laudabilem uirginitatem, Dei genitrix  
intercede pro nobis.

*Capitulum, Gene. 49.*

**N**on auferetur sceptrum de Iuda, et Christus  
per uirgi-  
nē ex tri-  
bu Iuda.  
dux de foemore eius, donec ueniat  
qui mittendus est, et ipse erit expectatio  
gentium.

*Respon.*

*Dignare me laudare te uirgo sacra.*

*Da mihi uirtutem contra hostes tuos.*

*Virgo, &c. Gloria, &c.*

*Verb.*

*Post partum uirgo inuiolata, &c.*

*Domini*

Domine exaudi &c. Et clamor &c.

*Oratio.*

**D**Eus qui salutis æternæ, beatæ Ma-  
riæ uirginitate fœcunda humano  
generi præmia præstitisti, tribue qua su-  
mus, ut ipsam pro nobis intercedere sen-  
tiamus, per quam meruimus autorem ui-  
tæ suscipere, Dominum nostrum Iesum  
Christum filium tuum, qui tecum &c.

*Ad Sextam.*

Aue Maria &c.

**D**Eus in adiutorium etc. Domine  
ad adiu. etc. Gloria patri etc.  
Sicut erat, etc. Haleluia.

*Hymnus Fortunati.*

**M**irantur ergo secula,  
Quod angelus fert semina,  
Quod aure uirgo concipit,  
Et corde credens parturit.

Beata cæli nuncio,

Fœcunda, etc.

Gloria tibi, etc.

*Psal-*



**B**enedixisti domine terram tuam :  
 auertisti captiuitatem Iacob. Remi-  
 sisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti om-  
 nia peccata eorum. Mitigasti omnem  
 iram tuam: auertisti ab ira indignationis  
 tuæ. Conuerte nos Deus salutaris noster,  
 et auerte iram tuam à nobis. Nunquid  
 in æternum irasceris nobis: aut extendes  
 iram tuam à generatione in generatio-  
 nem? Deus tu conuersus uiuificabis nos:  
 et plebs tua lætabitur in te. Ostende no-  
 bis domine misericordiam tuam: et salu-  
 tare tuum da nobis. Audiam quid loqua-  
 tur in me dñs Deus: quoniam loquetur  
 pacem in plebem suam. Et super sanctos  
 suos: et in eos qui conuertuntur ad cor.  
 Veruntamen prope timentes eum saluta-  
 re ipsius, ut inhabitet gloria in terra no-  
 stra. Misericordia et ueritas obuiauerunt  
 sibi: iustitia et pax osculatæ sunt. Veritas  
 de terra orta est: et iustitia de cœlo prospe-  
 xit. Etenim dominus dabit benignitatē:  
 et terra nostra dabit fructum suum.

Verbum  
 caro factum  
 est.

ria ante eum ambulabit: et ponet in uia  
gressus suos.

*Antiph.*

Germinauit radix Iesse, orta est stella  
ex Iacob, uirgo peperit saluatorem: te lau-  
damus Deus noster.

*Capitu. Hierc. 33.*

**E**Cce germinare faciam Dauid ger-  
men iustitiæ, & faciet iudicium et iu-  
stitiam in terra, et hoc est nomen, quod  
uocabunt eum dominus iustus noster.

*Respon.*

Post partum uirgo inuiolata perman-  
sisti. Dei genitrix intercede pro nobis.  
Inuiolata etc. Gloria &c.

*Vers.*

*Chrysoft.* Exaltata es sancta Dei genitrix. Super  
choros angelorum ad cœlestia regna.

*Oratio.*

**C**oncede nos famulos tuos quæsumus  
dñe Deus noster, perpetua mentis  
et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ  
beatæ Mariæ semper uirginis intercessio-  
ne, à præsentis liberari tristitia, et futura  
perfrui

perfrui lætitia, per dominū nostrum &c.

*Ad Nonam.*

Aue Maria, &c.

**D**Eus in adiutorium, etc. Domine  
Dad etc. Gloria patri etc. Sicut  
erat etc. Haleluia.

*Hymnus Fortunati.*

Beata mater munere,  
Culus supernus artifex,  
Mundum pugillo continens,  
Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuncio,  
Fecunda &c.

Gloria tibi domine, &c.

*Ex Psalmo 88.*

**I**Pse inuocabit me, pater meus es tu: Promissio  
Christi s̄  
Ih̄ Dei.  
**D**eus meus et susceptor salutis meæ.  
**E**regō primogenitum ponam illum: ex-  
celsū præ regibus terræ. In æternum  
seruabo illi misericordiam meam: et te-  
stamentum meum fidele ipsi. Et ponam Ecclesia  
sempiterna.  
in seculum seculi semen eius: et thronum  
eius sicut dies cœli. Si autem derelique-

runt filij eius legem meam: & in iudicijs  
meis non ambulauerunt. Si iustitias me-  
as prophanauerint, et mandata mea non  
custodierint. Visitabo in uirga iniquita-  
tes eorum: et in uerberibus peccata eorū.

Deus non  
deserit Ec-  
clesiam.

Misericordiam autem meam non disper-  
gam ab eo: neq; nocebo in ueritate mea.  
Neq; prophanabo testamentum meum:  
et quæ procedunt de labijs meis non fa-  
ciam irrita. Semel iuraui in sancto meo,  
si Dauid mentiar: semen eius in æternum  
manebit. Et thronus eius sicut sol in con-  
spectu meo: et sicut luna perfecta in æter-  
num et testis in cœlo fidelis. Gloria pa-  
tri etc.

*Antiph.*

Joan. 1

Ecce Maria genuit nobis saluatorem,  
quem Ioannes uidens, exclamabat dicēs:  
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata  
mundi, Halleluia.

*Capitulum, Baruch. 3.*

Christus  
incarnat<sup>9</sup>

**H**ic est Deus noster, et non æstima-  
bitur alius aduersus illum, posthæc  
in terris uisus est, et cum hominibus con-  
uersa-

uerfatus est. Respon.

Exaltata es sancta Dei genitrix. Vers.

Super choros angelorum ad cœlestia re-

gna. Be. Sancta &c. Gloria.

Vers.

Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

Vt digni efficiamur promissionibus

Christi.

Oratio.

**P**orrige nobis domine dexteram tu-

am. Et per intercessionem beatæ &

gloriosæ Dei genitricis uirginis Mariæ,

auxilium nobis supernæ uirtutis impen-

de, Per dominum nostrum Iesum Chri-

stum &c.

*Ad Vesperas.*

Aue Maria.

**D**eus in adiutorium &c. Domine

ad adiuuandum. Gloria patri.

Sicut &c. Halleluia.

*Psalmus 109.*

**D**ixit dominus domino meo, sede à

dextris meis. Donec ponam ini-

micos

Christus æq̄lis pa- tri regnat

C 3

micos tuos, scabellum pedum tuorum.  
 Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex  
 Syon, dominare in medio inimicorum  
 tuorum. Tecum principium in die uir-  
 tutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex  
 utero ante Luciferum genui te. Iurauit  
 dominus & non pœnitebit eum, tu es sa-  
 cerdos in æternum secundum ordinem  
 Melchisedech. Dominus à dextris tuis:  
 confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit  
 in nationibus implebit ruinas: conquassa-  
 bit capita in terra multorum. De Tor-  
 rente in uia bibit: propterea exaltabit ca-  
 put. Gloria &c.

Christus  
 æternus  
 sacerdos.

Christus  
 Iudex in  
 suos ho-  
 stes.

Christi  
 gloria  
 p passio-  
 nem.

*Antipho.*

**A**lma redemptoris mater, quæ per uis  
 cosli

Porta manens, & stella maris, succurre cadenti.

(Surgere qui curat) populo, tu quæ genuisti.

Natura mirante tuum sanctum genitorem.

Virgo prius ac posterius Gabrielis ab ore

Sumens illud aue, peccatorum miserere.

*Cap. Daniel. 2.*

Lapis  
 Christus.

Abscisus est lapis de monte sine mani-  
 bus,

bus, qui factus est mons magnus, et impleuit uniuersam terram.

*Respon.*

**B**Eata es uirgo Maria Dei genitrix, Luc. 1  
quæ credidisti domino, perfecta  
sunt in te quæ dicta sunt tibi. Ecce exal-  
tata es super choros angelorum: Interce-  
de pro nobis ad dominum Iesum Chri-  
stum. *Vers.*

Electa mater & uirgo, quæ sine uiro Hier. 31  
uirum peperisti. Intercede &c.

*Hymnus.*

Fit porta Christi peruia,

Ezec. 44

Referta plena gratia,

Transitq; rex & permanet

Clausa, ut fuit per secula.

Genus superni luminis,

Processit aula uirginis,

Sponsus redemptor conditor,

Matth. 9

Suo gigas Ecclesie.

Psalin. 18

Honor matris & gaudium,

Immensa spes credentium,

Per atra mortis pocula,

Resoluit nostra crimina.

C 4

Gloria

Gloria tibi domine,  
Qui natus es, &c. Vers.  
Post partum. Dei genitrix.

*Canticum Mariæ uirginis.*

Luce 1.

**M**agnificat anima mea dominum,  
Et exultauit spiritus meus, in Deo  
salutari meo. Quia respexit humilitatem  
ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatã me  
dicent omnes generationes. Quia fecit  
mihi magna qui potens est, & sanctum  
nomen eius. Et misericordia eius à pro  
genie in progenies: timentibus eum. Fecit  
potentiam in brachio suo: dispersit super  
bos mente cordis sui. Deposuit poten  
tes de sede, & exaltauit humiles. Esuri  
entes impleuit bonis: & diuites dimisit in  
anes. Suscepit Israël puerum suum: re  
cordatus misericordiæ suæ. Sicut locu  
tus est ad patres nostros, Abraam & semi  
ni eius in secula. Gloria &c.

Christus  
uenit.

August. in  
serm. de  
Assumpt.  
uirginis  
Mariæ.

*Antipho.*

Sancta Maria, succurre miseris, iuuua pu  
sillanimes, refoue flebiles, ora pro popu  
lo,



Jo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto foemineo sexu, sentiāt omnes tuum leuamen, quicunq; celebrant tuam commemorationem.

Domine exaudi &c. Et clamor &c.

*Oratio.*

**F**Amulorum tuorum quæsumus domine delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non ualemus, genitricis filij tui domini Dei nostri intercessionem saluemur: per eundem dominum, &c.

*Ad Completorium.*

*Aue Maria.*

**C**Onuerte nos Deus salutaris noster: Et auerte iram tuam à nobis.

Deus in adiutorium &c. Domine ad &c. Gloria patri. Sicut erat, &c.

*Haleluia.*

*Ex Psalmo 131.*

**I**Vrauit dominus David ueritatem, & non frustrabitur eum: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint

Christus promittitur.

Luc. 1  
Acto. 1

rint filij tui testamentum meum, & testi-  
 monia mea: hæc quæ docebo eos. Et filij  
 eorum usq; in seculum sedebunt super se-  
 dem tuam. Quoniam elegit dominus  
 Syon: elegit eam in habitationem sibi.  
 Hæc requies mea in seculum seculi: hic  
 habitabo quoniam elegi eam. Viduam  
 eius benedicens benedicam: pauperes  
 eius saturabo panibus. Sacerdotes eius  
 induam salutari: & sancti eius exultatio-  
 ne exultabunt. Illuc producam cornu  
 David: paravi lucernam Christo meo,  
 Inimicos eius induam confusione: super  
 ipsum autem effloreat sanctificatio mea.  
 Gloria patri. Sicut, &c. Haleluia.

Luc. 1  
 Malach. 3

Luc. 1

### *Hymnus.*

Ezech. 44 **F**oelix multiplici laude puerpera,  
 Regis porta sui clausa perenniter.  
 Mundi stella fluentis  
 Floris uirgula regia.

Sanctis obtineas uirgo precatibus,  
 Pacis præsidium dulce diuinæ  
 Nobis atque beati  
 Regni dona perennia.

**Præsta**

Preſta ſumme pater, patris & unice,  
Amborumq; ſimul ſpiritus amicus,  
Qui regnas Deus unus,  
Omni tempore ſeculi. Amen.

*Cap. Ezechiel. 44.*

**P**ORTA hæc clauſa erit, & non aperie-  
tur, & uir non tranſibit per eam: quo-  
niam Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam,  
eritq; clauſa principi.

*Versiculus.*

Dignare me laudare te uirgo ſacrata,  
Da mihi uirtutem, &c.

*Canticum Simeonis.*

*Luce 2.*

**N**unc dimittis ſeruum tuum domi-  
ne: ſecundum uerbum tuum in pa-  
ce. Quia uiderunt oculi mei: ſalutare  
tuum. Quod paraſti: ante faciem om-  
nium populorum. Lumen ad reuela-  
tionem gentium: & gloriam plebis tuæ  
Iſraël. Gloria patri, &c.

*Antiphona.*

Sub tuam protectionem confugimus,  
ubi

ubi infirmi acceperunt uirtutem, & pro-  
pter hoc tibi psallimus Dei genitrix uir-  
go.

Kyrie eleison ter. Christe eleison ter,  
Kyrie eleison ter. Pater noster, &c.

IOHN. 1

Verbum caro factum est. Et habitauit in  
nobis. Credo in Deum patrem, &c.

*Vers.*

In omni tribulatione & angustia nostra:  
Succure nobis beatissima uirgo Maria.

*Oratio.*

**P**rotege domine famulos tuos subsi-  
dijs pacis, & beatæ Mariæ semper  
uirginis patrocinijs cōfidentes, à cunctis  
hostibus & periculis redde securos: per  
dominum nostrum, &c.

*Benedictio.*

Cœlesti benedictione benedicat & cu-  
stodiat nos trina maiestas & una Deitas,  
Pater & Filius & Spiritus sanctus,

*Amen.*

**HORA-**

# HORARIA

## COMMEMORATIO

*Dominicæ passionis, Rithmica,*

*cum subiectis Prophetijs*

*et pijs precibus.*

*Ad Matutinas.*

*Iesus Christus dominus noster factus est pro nobis obediens Deo patri usque ad mortem: mortem autem crucis.*

1. Corin. 8  
Prouer. 3.  
Ioan. 14



*PATRIS sapientia, ueritas diuina,*

*Christus homo captus est, hora matutina,*

*A suis discipulis, et notis derelictus,*

Tren. 4  
Matth. 26  
Luc. 22  
Marc. 14  
Ioan. 18

*Iudæis est uenditus, traditus, afflictus.*

*Cap. Treno. 4.*

*Spiritus oris nostri Christus dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus:*

ximus: In umbratua uiuemus in gentibus. Versus.

Adoramus te domine Iesu Christe, & benedicimus tibi: Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Vers.

Qui passus es pro nobis, Miserere nostri. Domine exau. Et clamor.

*Oratio.*

**D**omine Iesu Christe fili Dei uius: qui hora matutina pro nobis tradi, ligari, duci & alapis cædi uoluisti, & cum gloria à mortuis resurrexisti: doce nos contumelias pro tui nominis gloria libenter sufferre: & fac nos de uitijs surgere ad uirtutes, ut te læti uidere possimus cum discipulis tuis, Qui uiuis & regnas cū Deo patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Ioan. 18

Matth. 28

Marc. 16

Luc. 24

Ioan. 20

*Ad Primam.*

Iesus Christus. Vt sup.

Matth. 27

Marc. 15

Luc. 23

Ioan. 18

**H**ora prima Dominum ducunt ad Pilatum: Falsis testimonijs, multum accusatum, in collum percutiunt, manibus ligatum.

*Conspuunt*

*Conspuunt in faciem, ut est prophetatum.*

*Cap. Esaia 50.*

Corpus meum dedi percutientibus, et  
genas meas uellentibus, faciem meam  
non auerti ab increpantibus & conspuen-  
tibus in me. Versus.

Adoramus te domine Iesu, &c. Quia  
per sanctam crucem. &c. Vers.

Qui passus es pro nobis: Miserere no-  
stri. Domine exaud. Et clamor.

*Oratio.*

**D**omine Iesu Christe fili Dei uiuis Marc. 16  
qui hora diei prima pro nobis Pila-  
to es praesentatus: & Mariae Magdalenae  
rediuiuus apparuisti, appare nobis per in-  
ternam gratiam, & da nobis ueram poeni-  
tentiam, ut de malis quae commisimus di-  
stricte nos iudicemus, ne in extremo iu-  
dicio, aeterno deputemur supplicio, sed  
tuis fidelibus associemur hic & in caelesti-  
bus: Qui uiuis &c. 1. Cor. 11

*Ad Tertiam.*

Iesus Christus dominus. Vi sup.  
Cruci-

Matth. 27  
Marc. 15  
Luc. 23  
Ioan. 18

**C**Rucifige clamitant hora tertiaria,  
Illusus induitur ueste purpurarum,  
Caput eius pungitur corona spinarum,  
Crucem fert in humeris ad locum pœnarum.

Cap. *Esaiæ 53.*

Sicut ovis ad occisionem ducetur, &  
quasi agnus coram tondente se obmutef-  
cet, & non aperiet os suum.

Versus.

Adoramus te &c. Quia per sanct. &c.  
Vers.

Qui passus es pro nobis: Miserere.  
Domine exaud. Et clamor, &c.

*Oratio.*

Acto. 2

**D**omine Iesu Christe fili Dei ului:  
qui hora diei tertia, pro nobis fla-  
gellatus & spinis coronatus, dura sustinul-  
sti uerbera, & fidelium tuorum corda, san-  
cti spiritus infusione fecisti flammantia,  
da nobis malum quod fecimus digna ca-  
stigatione punire, & flammam uitiorum  
aqua ueræ compunctionis tua gratia ex-  
tinguere, ut dñi foris affligimur intus tui  
spiritus dulcedine cōsolemur: Qui uiuis.  
Ad



*Ad Sextam.*

Iesus Christus dominus, &c. *Ut sup.*

**H**ora sexta Iesus est cruci conclauiatus: *Matth. 27*  
Et est cum latronibus pendens deputatus. *Marc. 15*  
*Luc. 23*  
*Ioan. 18*  
Pre tormentis sitiens felle saturatus,  
A sinistris exprobrat latro sceleratus.

*Capitulum, Esaie 53.*

Tradidit in mortem animam suam, &  
cum sceleratis reputatus est. Et ipse pec-  
cata multorum tulit, & pro transgresso-  
ribus orauit. *Versus.*

Adoramus te. *Quia per san. &c.*

*Vers.*

Qui passus es pro nobis, &c.

Domine exaudi &c. *Et clamor &c.*

*Oratio.*

**D**omine Iesu Christe fili Dei uiui:  
qui hora diei sexta, pro salute hu-  
mana brachia tua in cruce extendisti: &  
quinq; uulnera pertulisti, de q; gentium  
uocatione Apostolum tuum Petrum per *Acto. 10*  
uisionem docuisti, ad te confugientes  
brachijs misericordiae tuae clementer su-  
scipe, & uulnera mentis nostrae tuo sana

**D** medi-

medicamine: ut uocati ex gentibus, per te  
à peccatis purgati & operantes iustitiam,  
acceptum templum sancti spiritus efficiamur: Qui uiuis, &c.

*Ad Nonam.*

Iesus Christus dominus. Vt sup.

Matth. 27

Marc. 15

Luc. 23

Ioan. 18

Sol q̄ natura illu-

minat, is

connatu-

ram (pati-

enti Dño

cōdolēs)

obscura-

uit.

**H**ora nona Dominus Iesus expirauit,  
Heli clamans, animam patri cōmendauit:  
Latus eius lancea miles perforauit.

Terra tunc contremuit, & sol obscurauit.

*Cap. Esaia 53.*

Si posuerit pro peccato animam suam  
uidebit semen longæuum, & uoluntas in  
manu eius dirigetur.

Versus.

Adoramuste: Quia per, &c.

Vers.

Qui passus es pro nobis, &c.

Domine exaudi. Et clamor &c.

*Oratio.*

Marc. 16

Luc. 23

Año. 1

**D**omine Iesu Christe fili Dei uiui:  
qui hora diei nona pro salute hu-  
mana animam tuam tradidisti, & ad cœ-  
los

los ascendisti: uiuifica per tui amoris infu-  
sionem corda nostra, ut te diligere & men-  
te cœlestibus inhærere, mortemq; tuam  
nostræ carnis mortificatione imitari ua-  
leamus, ut dum tuæ passionis efficimur  
participes, cœlestis consolationis tuę nos  
facias esse consortes: Qui uiuis &c.

*Ad Vesperas.*

Iesus Christus dñs noster. Vt sup.

**D**E cruce deponitur hora uestpertina:  
Fortitudo latuit in mente diuina.

Talem mortem subiit, uitæ medicina:

Heu corona gloriæ, iacuit supina.

*Cap. Esaiæ 53.*

Quasi absconditus uultus eius & de-  
spectus, unde nec reputauimus eum, uere  
languores nostros ipse tulit, & dolores  
nostros ipse portauit.

Versus.

Adoramus te. Quia per &c.

Vers.

Qui passus es pro nobis, Misere  
nostri.

Domine exaudi orat. Et cla. &c.

D 2 Oratio.

Matth. 27

Marc. 15

Luc. 23

Ioan. 18

Acto. 2

2. Cor. 13

Esaiæ 53

Tren. 5

*Oratio.*

Matth. 26  
Marc. 14  
Luc. 22

**D**omine Iesu Christe fili Dei uiui:  
qui hora uespertina discipulis tuis  
sacrosancti corporis & sanguinis tui tra-  
didisti mysteria, & de cruce depositus es:  
depone mentis nostræ uitia & perpetra-  
ta scelera: quatenus cum pura conscien-  
tia, eadem sumamus mysteria, ut sint no-  
bis in salutare remedium, hic & in æter-  
num: Qui uiuis & regnas &c.

*Ad Completorium.*

Iesus Christus dominus. *Vt sup.*

Matth. 27  
Marc. 15  
Luc. 23  
Ioan. 18  
1. Cor. 15  
Esaia 53  
Mors iu-  
gis memo-  
ria, id est,  
mors iugi-  
ter memo-  
rabilis &c

**H**ora Completorij datur sepultura,  
Corpus Christi nobile, spes uitæ futuræ.  
Conditur aromate, complentur scripturæ:  
Iugis sit memoriæ mors hæc mihi curæ.

*Cap. Esaia 55.*

De angustia & Iudicio sublatus est, ge-  
nerationem eius quis enarrabit? quia ab-  
scisus est de terra uiuentium.

*Versus.*

Adoramus te Christe & benedicimus  
tibi: Quia per, &c.

*Vers.*

Verficulus.

Qui passus es pro nobis : Miserere nostri.

Domine exaudi orationem meam :  
Et clamor meus ad te ueniat.

Oratio.

**D**omine Iesu Christe cuius sudor hora Completorii, præ nimia tristitia, factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, & cuius corpus eadē hora cū planctu traditū est sepulturæ, da nobis ob peccata nostra (propter quæ tu passus es) lugere, tibiq; commori & consepeliri, ut peccatis mortui & iustitiæ uiuentes, tibi ad iudicium redituro læti occurrere, & partem in resurrectione iustorum obtinere mereamur : Qui uiuis & regnas cum Deo patre, &c.

Luc. 22

Roma. 8

1. Petri 2

1. Thess. 4

**H**as horas canonicas cum deuotione,  
Tibi Christe recolo pia ratione,  
Ut qui pro me passus es amoris ardore,  
Supplico solatium, sis mortis in agone.

Io. 3. 10. 13

Amen.

D 3 PRO

**PRO CON**  
**SEQVENDA RE-**  
*missione peccatorum, pro pace &  
unitate Ecclesiæ, & liberatione  
ab Hæreticis & Turcis, alijsq; ho-*  
*stibus tam uisibilibus quàm inuisibi-*  
*libus & omnibus malis: Dic se-*  
*quentes tres Psalmos cum*  
*Litania Ecclesiæ.*

*Psalmus 50.*



**M**ISERERE mei Deus,  
secundum magnam mise-  
ricordiam tuam. Et se-  
cundū multitudinem mi-  
serationum tuarum, dele  
iniquitatem meam. Amplius laua me ab  
iniquitate mea, & à peccato meo munda  
me. Quoniam iniquitatem meam ego  
cognosco: & peccatū meum cōtra me est  
semper. Tibi soli peccaui, & malum co-  
ram

nam te feci: ut iustificeris in sermonibus  
tuis, ut uincas cum iudicaris. Ecce enim  
in iniquitatibus conceptus sum: & in pec-  
catis concepit me mater mea. Ecce enim  
ueritatem dilexisti, incerta & occulta sa-  
pientiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges  
me dñe Hyssopo & mundabor: lauabis  
me & super niuem dealbabor. Auditui  
meo dabis gaudium & lætitiā: & exul-  
tabunt ossa humiliata. Auerte faciem  
tuam à peccatis meis: & omnes iniquita-  
tes meas dele. Cor mundum crea in me  
Deus: & spiritum rectum innoua in uisce-  
ribus meis. Ne proijcias me à facie tua:  
& spiritum sanctum tuū ne auferas à me.  
Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiri-  
tu principali confirma me. Docebo ini-  
quas uias tuas: & impij ad te conuerten-  
tur. Libera me de sanguinibus Deus De-  
us salutis meæ: & exultabit lingua mea iu-  
stitiam tuam. Domine labia mea aperies:  
& os meum annuntiabit laudem tuam. Laus.

Quoniam si uoluisses sacrificium dedis-  
sem: utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificiū  
Sacrificiū Deo spiritus contribulatus. Dei.

Vituli la-  
biorum  
laudes.

cor contritum & humiliatum Deus non  
despicias. Benigne fac domine in bona  
uoluntate tua Syon: ut ædificentur muri  
Hierusalem. Tunc acceptabis sacrificium  
iustitiæ oblationes & holocausta, tunc im-  
ponent super altare tuum vitulos. Gloria  
patri. Sicut erat, &c.

*Psalmus 122.*

Petit libe-  
rari ab ho-  
stibus.

**A**D te leuavi oculos meos, qui habi-  
tas in cœlis. Ecce sicut oculi seruo-  
rum in manibus dominorum suorum.  
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ  
sux; ita oculi nostri ad dominum Deum  
nostrum, donec misereatur nostri. Mi-  
serere nostri domine miserere nostri: qui  
multum repleti sumus despectione. Quia  
multum repleta est anima nostra, obpro-  
brium abundantibus, & despectio super-  
bis. Gloria patri, &c.

*Psalmus 129.*

**D**E profundis clamaui ad te domi-  
ne: domine exaudi uocem meam.  
Fiant aures tuæ intendentes: in uocem  
deprecationis meæ. Si iniquitates obser-  
uaueris



ueris domine: domine quis sustinebit  
 Quia apud te propitiatio est: & propter le-  
 gem tuam sustinui te domine. Sustinuit  
 anima mea in uerbo eius: sperauit anima  
 mea in domino. A custodia matutina us-  
 que ad noctem: speret Israël in domino.  
 Quia apud dominum misericordia, & co-  
 piofa apud eum redemptio. Et ipse re-  
 dimet Israël, ex omnibus iniquitatibus  
 eius. Gloria patri. Sicut erat &c.

370

**LITANIA**

*Ecclesie.*

371



Yrieleison. Christeeleison.  
 Kyrieleison., Christe audi  
 nos. Saluator mundi adiu-  
 ua nos.

Eiusmodi  
 litania no-  
 ta fuit Ec-  
 clesie etiam  
 ante tempo-  
 ra Chry-  
 stomi &  
 Ambrosii  
 cuius me-  
 minit Ber-  
 nardus in  
 sermo. de  
 4. modis  
 orandi.

Sancta Maria ora pro nobis.  
 Sancte Michaël ora pro nobis.  
 Sancte Raphaël ora pro nobis.  
 Omnes sancti Angeli & Archangeli,  
 orate pro nobis.  
 Sancte Ioannes Baptista ora pro nobis.

D S Omnes

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,  
orate pro nobis.

Sancte Petre ora pro nobis.

Sancte Paule ora.

Sancte Andrea ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Ioannes ora.

Sancte Thoma ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Philippe ora.

Sancte Bartholomæe ora.

Sancte Matthæe ora.

Sancte Simon ora.

Sancte Thaddæe ora.

Sancte Barnaba ora.

Sancte Marce ora.

Sancte Luca ora.

Omnes sancti Apostoli & Euan-  
gelistæ orate pro nobis.

Sancte Stephane ora pro nobis.

Sancte Line ora.

Sancte Clete ora.

Sancte Clemens ora.

Sancte Sixte ora.

Sancte Corneli ora.

Sancte

Sancte Cypriane	ora pro nobis.
Sancte Laurenti	ora.
Sancte Vincenti	ora.
Sancte Hypolite	ora.
Sancte Chryfogone	ora.
Sancte Ioannes & Paule	orate pro no.
Sancte Cosma & Domiane	orate.
Sancte Panthaleon	ora pro nobis.
Sancte Fabiane	ora.
Sancte Sebastiane	ora.
Sancte Felix	ora.
Sancte Nabor	ora.
Sancte Mauriti cum socijs tuis	orate.
Sancte Gereon cum socijs tuis	orate.
Sancti Mauri	orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres	orate p nob.
Sancte Syluester	ora pro nobis.
Sancte Leo	ora.
Sancte Gregori	ora.
Sancte Ambrosi	ora.
Sancte Hieronymus	ora.
Sancte Augustine	ora.
Sancte Nicolae	ora.
Sancte Martine	ora.
Sancte Seuerine	ora.

Sancte Anthoni	ora pro nobis.
Omnes sancti Confessores	orate p nobis.
Sancta Felicitas	ora pro nobis.
Sancta Perpetua	ora.
Sancta Agatha	ora.
Sancta Lucia	ora.
Sancta Agnes	ora.
Sancta Cecilia	ora.
Sancta Anastasia	ora.
Sancta Catharina	ora.

Omnes sancte uirgines & uiduæ orate.

Omnes sancti orate pro nobis.

Deprecationes.

Propitius esto parce nobis domine.

Propitius esto libera nos domine.

Ab ira tua libera nos domine.

A peccatis nostris libera nos domine.

Ab insidijs diaboli libera.

Perimus  
mori morte  
iustorum,  
qualē pre  
cem ha  
bes in Li  
tanijs

A subitanea & improuisa mala morte,

libera nos domine.

A morte perpetua libera.

A peste & Clade libera.

Ab omni malo libera.

Chrysoft.  
Obsecra  
tiones.

Per incarnationem & natiuitatem tuam

libera.

Per crucem et passionem tuam libera.

Per

**Per mortem et sepulturam tuam, li-**  
**bera nos domine.**

**Per sanctam resurrectionem & admira-**  
**bilem ascensionem tuam libera.**

**Per aduentum spiritus sancti paracliti, lib.**  
**In die iudicij libera**

**Peccatores. Te rogamus audi nos. Oratio-**  
**nes seu pe-**

**Ut pacem nobis dones Te rogamus.**

**Ut sanitatem nobis dones Te roga.**

**Ut dextera tua sancta nos semper cu-**  
**stodiat Te roga.**

**Ut dominum Apostolicum, & cunctum Postula-**  
**Ecclesiasticum ordinem, in sancta re-**  
**ligione conseruare digneris. Te roga.**

**Ut Antistitem nostrum in sancta religio-**  
**ne conseruare digneris Te roga.**

**Ut Regem nostrum & exercitum Chri-**  
**stianum in perpetua pace & prosperi-**  
**tate conseruare digneris Te roga.**

**Ut cunctum populum Christianum, pre-**  
**cioso sanguine tuo redemptum, con-**  
**seruare digneris Te roga.**

**Ut Hæreses & Schismata extirpare dig-**  
**neris Te roga.**

**Ut nos in tuo sancto seruitio conseruare**  
**& con-**

& confortare digneris. **Te rogamus.**  
**Vt seruitus nostra tibi complaceat.** **Te**  
rogamus audi nos.

**Vt nos exaudire digneris** **Te roga.**  
**Fili Dei** **Te roga.**

**Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Mi-**  
**serere nobis.**

**Agnus Dei qui tollis peccata mundi, par-**  
**ce nobis domine.**

**Agnus Dei qui tollis peccata mundi, do-**  
**na nobis pacem.**

**Christe audi nos. Christe audi nos.**

**Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie-**  
**leison. Pater noster, &c. Verb. Et ne**  
**nos. R. Sed libera.**

**Psal. 105** **Domine peccaui cum patribus no-**  
**stris: Iniuste egimus, iniquitatem fe-**  
**cimus.**

**Domine non secundum peccata nostra**  
**facias nobis: Neque secundum iniqui-**  
**tates nostras retribuas nobis.**

**Psal. 78** **Domine ne memineris iniquitatum no-**  
**strarum antiquarum. Cito anticipent**  
**nos misericordiae tuae, quia pauperes**  
**facti sumus nimis.**

**Adiuua**

**A**diuua nos Deus salutaris noster. Et *Psalm. 78*  
propter gloriam nominis tui libera  
nos, & propitius esto peccatis nostris  
propter nomen tuum.

**D**omine ne simul tradas nos cum pecca-  
toribus: Et cum operantibus iniquita-  
tem ne perdas nos.

**N**e tradas domine bestias animas confi-  
tentium tibi: Et animas pauperum ne  
obliuiscaris in finem.

**F**iat misericordia tua domine super nos: *Psalm. 14*  
Quemadmodum sperauimus in te.

Pro fidelibus defunctis.

**R**equiem æternam dona eis domine: Et  
lux perpetua luceat eis.

**R**equiescant in pace, Amen.

**E**sto nobis domine turris fortitudinis, à *Psalm. 60*  
facie inimici.

**D**omine exaudi, &c. Et clamor, &c.

### *Oratio.*

**I**nestabilem misericordiam tuam no-  
bis domine clemēter ostende, ut simul  
nos & à peccatis exuas, & à pœnis quas  
pro his meremur eripias, per Christ. &c.

*Eccle-*

**E**cclēsiæ tuæ quæ sumus domine preces placatus admitte: ut destructis aduersitatibus & erroribus uniuersis, securam tibi seruiat libertate, per dominum, etc.

**T**vere domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas, per dominum, &c.

*Alia Litania Ecclesiastica ad laudes matutinas & uespertinas, pro tota Ecclesia.*

**Psalm. 40** **E**go dixi domine miserere mei, sanx animam meam quia peccaui tibi.

**Psalm. 131** Oremus pro omni gradu Ecclesiæ. Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent.

**Psalm. 40** Pro pastore nostro. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberet illum dñs.

**Ibidem.** Pro Antistite nostro. Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat



tradat eum in manibus inimicorū eius.

**Pro Rege nostro.** Psalm. 19

Domine saluū fac Regem, & exaudi nos  
in die qua inuocauerimus te.

**Pro cuncto populo Catholico.**

Saluum fac populum tuum domine & be  
nedic hæreditati tuæ, & rege eos & ex  
tolle illos usq; in æternum.

**Pro pace & unitate Ecclesiæ.**

Fiat pax in uirtute tua, & habundantia in  
turribus tuis.

**Pro nobismetipsis.**

Fiat misericordia tua domine super nos,  
quemadmodum sperauimus in te.

**Pro iter agentibus.**

O domine saluos eos fac, ô domine bene  
prosperare. Benedictus qui uenit in  
nomine domini.

**Pro nauigantibus.**

Exaudi nos Deus salutaris noster. Spes  
omnium finiū terræ & in mari longe.

**Pro aduersantibus & calūniantibus nos.**

Domine Iesu Christe ne statuas illis hoc  
peccatum, quia nesciunt quid faciunt.

**Pro discordantibus.**

E Et

Philip. 4 **Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda nostra & intelligentias nostras in Christo Iesu.**

**Pro pœnitentibus.**

**Conuertere domine usque & deprecabilis esto super seruos tuos.**

**Pro omnibus nobis bona facientibus.**

**Retributor omnium bonorum Deus retribuere dignare omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum sanctum, uitam æternam.**

**Pro infirmis & captiuis.**

**Mitte uerbum tuum & sana eos de interitu eorum.**

**Pro fidelibus defunctis.**

**Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis.**

**Requiescant in pace, Amen.**

**Pro peccatis & negligentijs nostris.**

**Psal. 78 Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.**

**Ibidem. Adiua nos Deus salutaris noster. Et propter gloriam nominis tui domine libera**  
**ra.**

ra nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen sanctum tuum.

Pro fratribus & sororibus nostris absentibus.

Saluos fac seruos tuos & ancillas tuas Deus meus sperantes in te.

Mitte eis domine auxilium de sancto. Et de Syon uere eos.

Esto nobis domine turris fortitudinis, A Psalms. 60  
facie inimici.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus &c.

Psalms. 50. Miserere mei, &c. dicitur totus. Gloria patri. Sicut erat &c. Haleluia. uel laus tibi domine, secundum rationem temporis.

Exurge domine adiuua nos. Et libera nos Psalms. 43  
propter nomen sanctum tuum.

Domine Deus uirtutum conuerte nos. Et ostende faciem tuam, & salui erim<sup>9</sup>.

Domine exaud. Et clamor, &c.

### *Oratio.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo  
E 2 creden-

credentibus redelasti, custodi opera misericordiae tuae, ut Ecclesia tua, toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseueret, per dominum &c.

Supplicatio pro uiuis & defunctis.

Deinde supplicatur pro uiuis & defunctis, & dicitur psalm. 129. De profundis &c. totus. Gloria patri. Sicut. &c. Kyrie eleison, Christeeleison, Kyrie eleison.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis: Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Domine ne simul tradas nos cum peccatoribus, Et cum operantibus iniquitatem ne perdas nos.

Saluos fac seruos tuos & ancillas tuas, Domine Deus meus sperantes in te.

Memento nostri domine in beneplacito populi tui: Visita nos in salutari tuo.

Memento congregationis tuae, Quam possedisti ab initio.

Non nobis domine non nobis: Sed nomini tuo da gloriam.

Psal. 142

Ne intres in iudicium cum seruis tuis domine.

mine. Quia non iustificabitur in con-  
spectu tuo omnis uiuens.

Domine exaudi. Et clamor &

*Oratio.*

**D**Eus cui proprium est misereri sem-  
per & parcere, maiestatem tuam  
suppliciter deprecamur, ut nobis indi-  
gnis famulis tuis precibus Dei genitricis  
uirginis Mariae ueniam nostrorum largi-  
ri digneris peccatorum, ac famulis ac fa-  
mulabus tuis uiuis & defunctis, pro qui-  
bus tuam exorare decreuimus misericor-  
diam, interuentu omnium supernorum  
cuium cunctarum propitius indulgen-  
tiam culpamm & plenitudinem æterno-  
rum largiaris gaudiorum, per Christum  
dominum nostrum, Amen.

*Alia preces pro omni gradu*

*Ecclesie breuiores.*

**E**GO dixi domine miserere mei sana  
animam meam, quia peccaui tibi. *psalm. 40*

Conuertere domine usquequos Et depre-

E 3 cabils

inabilis esto super seruos tuos.

Confiteantur tibi domine omnia opera  
tua. Et sancti tui benedicant tibi.

Psalm. 133 Sacerdotes tui induantur iustitiam. Et  
sancti tui exultent.

Psalm. 19 Domine saluum fac Regem. Et exaudi  
nos in die qua inuocauerimus te.

Saluum fac populum tuum domine: Et  
benedic hereditati tuæ, & rege eos &  
extolle illos usq; in æternum.

Psalm. 124 Saluos nos fac domine Deus noster, Et  
congrega de nationibus.

Fiat pax in uirtute tua: Et habundantia in  
turribus tuis.

Fiat misericordia tua domine super nos:  
Quemadmodum sperauimus in te.

Pro infirmis & captiuis. Mitte uerbum  
tuum & sana eos de interitu eorum.

Pro fidelibus defunctis. Requiem æter-  
nam dona eis domine, & lux perpe-  
tua luceat eis.

Requiescant in pace, Amen.

Psalm. 78 Pro peccatis & negligentijs nostris.

Domine ne memineris iniquitatum no-  
strarum antiquarū, Cito anticipent nos  
miseri-

miseri cordiæ tuæ, quia pauperes facti  
sumus nimis.

**A**d iuuua nos Deus salutaris noster. Et pro <sup>Psalm. 78</sup>  
pter gloriam nominis tui domine libe  
ra nos, & propitius esto peccatis no  
stris propter nomen tuum.

**P**ro fratribus & sororibus nostris absen  
tibus. Saluos fac seruos tuos & ancil  
las tuas, Deus meus sperantes in te.

**M**itte eis domine auxilium de sancto: Et  
de Syon tuere eos.

**E**sto nobis domine turris fortitudinis, &  
facie inimici.

**D**omine exaudi orationem meam: Et cla  
mor meus ad te ueniat.

**P**salm. 50. Misere mei, &c. dicitur to  
tus. Gloria patri, &c. Vers. Exurge  
domine. R. Et libera &c. Domine ex  
audi &c. Et clamor &c.

*Oratio.*

**D**eus qui charitatis dona per gratiã  
sancti spiritus tuorum cordibus fi  
delium clementer infundis, da famulis ac  
famulabus tuis, pro quibus tuam depre

camur clementiam salutem mentis & cor-  
poris, ut te tota uirtute diligant, & quæ  
tibi placita sunt tota dilectione perficiant,  
per Christum dominum nostrum.

# OBSECRATIONES, ORATIONES,

Interpellationes, & Gratiarum actiones, di-  
cende, dum audis Sacrum, non in pueritia  
tantum, sed & in quorumuis usum  
Missæ religiose assistere uo-  
lentium.

Quando sacerdos se induit, dic  
Confessionem sequentem.

Ex libro  
Ecclesie  
antiquissi-  
mo excer-  
pta.



Hebr. 5.  
& 9

CONFITEOR tibi pec-  
cata mea æterne Pontifex  
& sanctorum minister, &  
ueri tabernaculi sacerdos,  
qui semel in anno huius  
seculi in mystica sancta intrasti, & sanctum  
& immaculatum agnum, proprii corpo-  
ristui,



ristui, ad hostiam dedisti pro peccatis no-  
stris: Tibi cōfiteor, quia debitor sum tibi,  
Non solum decem millia talenta delicto-  
rum meorum, sed totius uitæ meæ ratio-  
nem reddere debeo, quia in omni uita  
mea nullum mandatum tuum, perfecte  
à me custoditum scio, in quo ego sermo-  
ne, uisu, auditu, gustu, gressu, opere, cogi-  
tatione, aut suasionem, uel consensu me deli-  
quisse confiteor. Sed nunc domine præ-  
uenio faciem tuam in confessione, & in  
conspetu angelorum & omnium sancto-  
rum tuorum confiteor tibi peccata mea,  
& ueniam postulo pro delictis meis. Te-  
que obsecro, ut in hoc tempore accepto  
exaudias me, & in his diebus salutis adiu-  
ues me, ut in præsentis seculo perfecte ua-  
leam recognoscere peccata mea, & tibi  
æterno iudici confiteri, & sic ueniam con-  
sequi omnium delictorū meorum, qua-  
tenus ad tremendum iudicium tuum, le-  
curum me ab omnibus accusationibus  
inimici facias peruenire, per dominum  
nostrum, &c.

Matth. 18

Psal. 94  
Psal. 137

2. Cor. 6

Sequitur Confessio quam mutuo et  
uicissim faciunt Sacerdos cum  
ministris altaris, & Assisten-  
tes.

**I**N nomine patris, & filij, & spiritus san-  
cti, Amen.

**SACERD.** Adiutorium nostrum in  
nomine domini.

**ASSIST.** Qui fecit cœlum & terram.

**SACERD.** Et introibo ad altare Dei.

**ASSIST.** Ad Deum qui lætificat iuuent-  
tutem meam.

**SACERD.** Confitemini domino quo-  
niam bonus.

**ASSIST.** Quoniam in seculum miseri-  
cordia eius.

**SACERD.** Confiteor omnipotenti Deo  
cœli, & beatæ Mariæ uirgini, et omni-  
bus sanctis Dei, et uobis: quòd ego infœ-  
lix peccator peccaui nimis in uita mea,  
contra legem Dei mei cogitatione, lo-  
quutione, et opere, mea culpa, mea ma-  
xima culpa: Ideò precor gloriosissimam  
uirgi-

uirginem Mariam, et omnes sanctos Dei  
et uos, orare pro me peccatore.

**ASSIST.** Deo gratias. Misereatur ue-  
stri omnipotens Deus, et dimissis omni-  
bus peccatis uestris, perducatur uos domi-  
nus noster Iesus Christus sine macula cū  
gaudio in uitam æternam.

**SACERD.** Amen.

**ASSIST.** Confiteor. Vt sup.

**SACERD.** Misereatur, Vt sup.

Indulgentiam absolutionem & remissio-  
nem omnium peccatorum nostrorum,  
spatium ueræ & fructuosæ pœnitentiæ,  
cor semper pœnitens, perseuerantiam in  
bonis operibus, finem bonum & consola-  
tionem sancti spiritus tribuat nobis pius  
pater, & misericors dominus.

**ASSIST.** Amen.

**SACERD.** Non nobis dñe non nobis. Psalm. 119

**ASSIST.** Sed nomini tuo da gloriam.

**SACERD.** Ab occultis meis munda me Psalm. 18  
domine.

**ASSIST.** Et ab alienis parce seruo tuo.

**SACERD.** Esto nobis domine turris Psalm. 69  
fortitudinis.

**ASSL**

ASSIST. à facie inimici.

SACERD. Domine exaudi orationem  
meam.

ASSIST. Et clamor meus ad te ueniat.

*Sacerd. Oremus.*

**E**Xaudi quæsumus domine supplicium  
preces, & confitentium tibi parce  
peccatis, ut pariter nobis indulgentiam  
tribuas benignus & pacem.

*Cum sacerdos ascendit ad  
altare, dic tu:*

**T**Rinitas sancta domine Deus salutis  
meæ, qui te creatorem, saluatorem  
& reparatorem meum grauiter offendi, à  
te ueniam peto, qui es omnium misericor  
diarum & totius consolationis pater, ac  
rogo te ut me iustifices, et in peccatis mor  
tuum uiuifices & resuscites, per eum, per  
quem mortuos resuscitas & uiuificas, &  
impios iustificas, Iesum Christum filium  
tuum dominum nostrum.

Præsta mihi quod rogaris de indul  
gentia tua accipere, quem agnoscis fidu  
tiam

tiam de sua iustitia non habere.

*Ad Introitum.*

**T**E patrem unigenitum, te filium unigenitum, te spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atq; benedicimus, tibi gloria in secula seculorum, Amen.

August.  
lib. Medi.  
c. 11

Gloria patri qui creauit nos, gloria filio qui redemit nos, gloria spiritui sancto qui sanctificauit nos, gloria summæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperiū sine fine manet.

Ibidē. c. 33

Te decet laus, te decet Hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi uirtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

*Litania.*

Kyrie eleison. Christeeleison. Kyrie eleison.

Paier de coelis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sequi-

*Sequitur Hymnus Angelicus.*

**G**Loria in excelsis Deo. Et in terra  
pax hominibus bonæ uoluntatis.  
Laudamus te. Benedicimus te. Adora-  
mus te. Glorificamus te. Gratias agi-  
mus tibi propter magnā gloriam tuam.  
Domine Deus, rex cœlestis, Deus pater  
omnipotens. Domine fili unigenite Iesu  
Christe altissime. Domine Deus agnus  
Dei filius patris. Qui tollis peccata mun-  
di, miserere nobis. Qui tollis peccata  
mundi, suscipe deprecationem nostram.  
Qui sedes ad dexteram patris, miserere  
nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu so-  
lus Dominus, tu solus altissimus Iesu  
Christe. Cum sancto spiritu in gloria Dei  
patris, Amen.

*Ad primam Collectam dic:*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, da  
nobis fidei spei & charitatis aug-  
mentum, & ut mereamur assequi quod  
promittis, fac nos amare quod præci-  
pis, per dominum nostrum Iesum Chri-  
stum, &c.

Ad

Ad recitationem lectionis Propheti-  
cæ, seu Apostolicæ, quæ Epistola uoca-  
tur, diligenter auscultandum est: perinde  
ac si ipse Propheta uel Apostolus coram  
constitutus nobis concionaretur.

*Ad Graduale & Iubila-  
tionem.*

**O** Adoranda Trinitas, ô ueneranda  
Trinitas, Per te sumus creati uera æ-  
ternitas. Per te sumus redempti summa  
tu charitas. Populum cunctum tu prote-  
ge, salua, libera, eripe, & emunda. Te  
adoramus omnipotens, Tibi canimus, ti-  
bi laus & gloria per infinita secula seculo-  
rum, Amen.

Ex Iubila-  
tione seu  
prosa Ec-  
clesiastica

Euangelij uerba demisso uultu & ere-  
cta mēte (ueluti si domino prædicanti as-  
sisteremus) audienda, & meditanda sunt  
quod facere monet Diaconus, dicens:  
Dominus uobiscum &c. Et glorifican-  
dus dominus quod miserit nobis uerba  
salutis, & gloriatio cordis, signo in oscu-  
lationis uerborum Christi, indicanda est.

Sequi-

*Sequitur Symbolum quod recitatur in Missa.*

**C**redo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem coeli & terrae, Visibilem omnium & invisibilem. Et in unum dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, et ex patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria uirgine, Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris. Et iterum uenturus est cum gloria, iudicare uiuos et mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum dominum et uiuificantem: qui ex patre, filioque procedit. Qui cum patre et filio simul adoratur et con-



et conglorificatur. Qui locutus est per  
Prophetas. Et unam sanctam catholi-  
cam et Apostolicam Ecclesiam. Confi-  
teor unum Baptisma in remissionem pec-  
catorum. Et expecto resurrectionem  
mortuorum. Et uitam uenturi seculi:  
Amen.

*Quando procedit sacerdos ad  
oblationem dic:*

**D**omine sancte pater, qui per Iesum Irenæusa  
Christum filium tuum, Noui Te-  
stamenti nouā oblationem docuisti, quā  
Ecclesia à sanctis Apostolis accipiens, in  
uniuerso mundo offert tibi Deo rerum Oblatio  
panis &  
uini my-  
stica.  
omnium creatori et seruatori, profere[n]s  
significāte mysterio primitias ex tuis crea-  
turis et donis, panem et uinum aqua mi- August. de  
uerb: dñi  
scd'm Lu-  
cā serm. 28  
xtum, in carnem et sanguinem dilecti filij  
tui mox consecranda, ut ea oblatione re-  
præsentet illum, qui est panis uiuus descen-  
dens de cælo, dans uitam mundo, qui et  
sanguine et aqua de latere suo profluenti-  
bus, lauit nos à peccatis nostris. Digne-  
ris summe Deus hanc oblationem, quam  
2211 F Ecclesia

Ecclesia tua Catholica tibi per sacerdotem, nostris uotis accedentibus offert, placatus accipere pro cuncto populo tuo, quem acquisisti precioso sanguine eiusdem dilecti filij tui domini nostri Iesu Christi.

**T**V misereris nostri domine, & nihil odisti omnium quæ fecisti. Memorare ergo quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es, ne irascaris nobis, neque multitudinem uiscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis domine iniquitates nostras, & ignem sancti spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat, & honorificet, te delectetur, te sequatur, te perfruetur.

**D**omine qui iustificas impios & uiuificas mortuos, uiuifica & resuscita me, domine Deus meus. Da mihi domine compunctionem cordis, & lacrymas

mas oculis meis, ut diebus & noctibus omnes negligentiae meae dies defleam, cum humilitate & puritate cordis, appropiet oratio mea in conspectu tuo domine. Si iratus fueris domine contra me, quem adiutorem quaeram, aut quis miserebitur iniquitatibus meis? Memeto domine quod Matth. 18  
Chananeam, & Publicanum uocasti ad Luc. 18  
penitentiam, & Petrum lachrymantem Luc. 22  
suscepisti, & meas preces suscipe misericors Deus, Saluator, qui uiuis & regnas in secula seculorum, Amen.

*Quando Sacerdos Turificat, dic:*

**D**irigatur domine oratio mea sicut Psal. 140  
Incensum in conspectu tuo, fiatque tibi acceptabilis, & ascendat ad te in odorem suauitatis.

*Quando se uertit ad circumstantes dicens: Orate pro me &c. dic:*

**O**rent pro te omnes sancti & electi Dei, Spiritus sanctus superueniat in

Psalms. 19

te, & uirtus altissimi obumbret tibi. **Ex**  
audiat te dominus in die tribulationis;  
protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi  
auxilium de sancto, & de Syon tueatur  
te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holo  
caustum tuum pingue fiat.

Cypria.  
in orat.  
dñicam.

Oratio  
Canon  
Missæ.

*Sequitur quotidiana præfatio, qua  
ante Orationem præmissa, Sa  
cerdos parat astantium mentes,  
incipiens à conclusione secreta  
orationis, ut astantes ad eam et  
oblationem, addāt suū Amen.*

*Quando dicitur  
hæc sequenti  
dicitur*

**P**ER omnia secula seculorum. **CHOR.**  
nomine populi: Amen. **SACERD.**  
Dominus uobiscum. **CHOR.** Et cum  
spiritu tuo. **SACERD.** Sursum corda.  
**CHOR.** Habemus ad dominum. **SACERD.**  
Gratias agamus domino Deo  
nostro. **CHOR.** Dignum & iustum est.

Oblatio  
gratiarū  
actionis.

**V**Ere dignum & iustum est, æquum  
& salutare. Nos tibi semper & ubi  
que gratias agere dñe sancte pater oīpō  
tens

tens æterne Deus, per Christū dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, Cœli cœlorumq; uirtutes, ac beata Seraphim socia exultatione cōcelebrant. Cum quibus & nostras uoces, ut admitti iubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes.

### *Hymnus Angelicus.*

**S**ANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, DOMINUS  
DEUS SABAOTH. Pleni sunt cœli & terra, gloria tua: O sanna in excelsis. Benedictus qui uenit in nomine domini, O sanna in excelsis.

---

### *Interea dic:*

**G**RATIAS ago tibi clementissime & benignissime amator hominū Deus: Qui per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos, & cum perditī fuisset culpa nostra, mirabiliter liberaisti & recuperaisti nos. Gratias ago pietati tuæ ex totis præcordijs meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem (qua nōs mise-

August.  
lib. Medi-  
cat. c. 14

Ioan. 3

ros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es) misisti eundem unigenitum tuum de sinu tuo, ad publicum nostrum, saluare nos qui tunc peccatores & filij perditionis eramus. Gratias ago tibi pro sancta incarnatione & natiuitate eius, & pro gloriosa genitrice eius, de qua ipse carnē assumere dignatus est propter nos, & propter nostram salutem, ut sicut uerus Deus ex Deo, ita uerus homo ex homine esset. Gratias tibi ago pro passione & cruce eius, pro morte & resurrectione eius, pro ascensione eius in cœlum, & sede maiestatis eius ad dexteram tuam. Gratias tibi ago pro sacratissima illa effusione præciosi sanguinis eius, quo sumus redempti, simul & pro sacrosancto & uiuifico mysterio corporis & sanguinis ei<sup>9</sup>, quo in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, & unius summæ diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos sic amasti & saluasti, per unicum & dilectum filium tuum. Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum

Ibidem.

genitum tuum dares, ut omnis qui credit  
in eum non pereat, sed habeat uitam æter-  
nam. Hæc autem est uita æterna, ut co-  
gnoscamus te uerum Deum, & quem mi-  
sisti Iesum Christum per fidem rectam et  
condigna fidei opera. Cap. 13  
Gratias denique ago labijs & corde, & omni qua ualeo uir-  
tute infinitæ misericordiæ tuæ, domine  
Deus noster, pro omnibus miserationi-  
bus & beneficijs tuis, quibus mirabiliter  
nobis perditis subuenire dignatus es, per  
eundem filium tuum saluatorem & recu-  
peratorem nostrum, qui mortuus est pro  
pter peccata nostra, & resurrexit propter Rom. 4  
iustificationem nostram, & nunc uiuens  
sine fine sedet ad dexteram tuam, & inter Roma. 8  
pellat pro nobis per suam humanitatem, 1. Ioan. 2  
& simul tecum miseretur secūdum suam  
diuinitatem, qua tibi coæqualis est: Cui  
omne genu flectitur, cœlestium, terrestri Philip. 2  
um & infernorum, per quem omnis cœ-  
lestis militia te concelebrans canit: San-  
ctus, Sanctus, Sanctus.

*Quando sacerdos tacite intrat*

F 4 in

# *In Sacrum, CANONEM.*

D I C:

Ambr. in  
precatio-  
nes. præ-  
parat. ad  
Mißam.

Oblatio  
uotua q̄  
nos ipsos  
Deo con-  
secramus.  
Vis hoc sa-  
crificium  
honorare  
animam  
tuam offe-  
ras. Chry-  
sost. Tom.  
1. Hom. 51

Postula-  
tio seu ora-  
tio pro oi-  
gradu Ec-  
clesiæ.

**S**umme Sacerdos & uere Pontifex  
Iesu Christe, qui te obtulisti Deo pa-  
tri in ara crucis, hostiam puram et imma-  
culatam pro nobis miseris peccatoribus,  
qui carnem tuam & sanguinem nobis in  
Sacramento (quod tua diuina omnipo-  
tentia conficitur) reliquisti, et hoc sacrifi-  
cium instituisti, et offerri præcepisti in  
commemoratione tui pro salute nostra.  
Per hanc omnipotentiam tuam te rogo,  
ut concedas mihi peccatori uenerandæ  
passionis tuæ dignam memoriam agere,  
et me totum meaq; omnia tibi (qui es do-  
minus et redemptor meus) resignare et  
consecrare, et huic cœlesti sacrificio in-  
teresse cum timore et tremore, et cordis  
puritate et lachrymarum fonte cum læti-  
tia spirituali et cœlesti gaudio. Sentiat  
mens mea dulcedinem beatissimæ præ-  
sentia tuæ, et excubias sanctorum ange-  
lorum tuorum in circuitu meo, Amen.

Ecce dum pro me sollicitus talia po-  
stulo meminisse charitatis debent et pro  
alijs



alijs te exorem. Te igitur amatorem Ec-  
clesiæ tuæ deprecor Deus pro sacerdoti-  
bus eius, ut uerbis simul & meritis uitæ,  
populum sibi creditum ad cœlestem pa-  
triam inuitent. Pro Regibus, Ducibus, &  
ijs qui in sublimitate positi sunt, ut patres  
orphanorum & Iudices uiduarum semet  
iplos exhibeant, miserisq; inopum & ge-  
mitibus pauperum doleant, nil nisi quod  
iustum est in iudicio quærant, sicq; admi-  
nistrent præsentia ne amittant bona futu-  
ra. Pro uirginibus, continentibus ac  
mundo renunciantibus, ut præsentia de-  
spiciant, futura requirant, ne se negocijs  
secularibus implicent ut tibi militâtes pla-  
ceant, cui se probauerunt. Pro coniuga-  
tis, ut tali affectu se diligant, ne à desyde-  
rio patriæ cœlestis exorbitent.

Ambros.  
in precat.  
2. præpa-  
toriam ad  
Missam.

Oro domine pro uniuersa sancta Ec-  
clesia tua Catholica. Da igitur domine  
sacerdotibus concordiam. Regibus &  
Principibus iuste iudicantibus tranquilli-  
tatem & pacem. Præsta domine Rex æ-  
ternæ uirginibus castimoniam, Deo dica-

August.  
lib. medi.  
c. 40

tis continentiam, Coniugatis sanctimoniam, Pœnitentibus indulgentiam, Viduis & Orphanis sustentationem, Pauperibus protectionem, Peregrinantibus reditum, Nauigantibus portum, Et omnibus fidelibus tuis salutem.

Ambr. in  
precat. 1

Pia commemora-  
tio sancto-  
rum.  
Ibidem.

Oro quoq; domine clementiam tuam ut sereno uultu nos famulos tuos, sacri tui nominis officia præstolantes aspicere digneris. Et ut nullius sit irritum uotum, nullius uacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire digneris. Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ uirginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres nouū munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouū acciperet, nouum scilicet munus prima offerret, ut puerpera uirgo perseueraret. Nulla præter ipsam tam nouum acciperet, ut Deum uirgo pareret, & post partum uirgo maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimum Mediatoris paupertatē eiusq; passionem uestigio insequentes, ad tantum celsitudi-

nis

nis culmen peruenerunt, ut quæcunq; ligarent super terram, essent ligata & in cœlis, & quæ soluerent super terram, essent soluta & in cœlis. Atque in extremis sederent super Thronos iudicantes duodecim Tribus Israël. **Martyrum preces** deprecor, qui pro ueritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas usq; ad mortem; ut mortis superarent autorem. **Confessorum orationes** exoptulo, qui bella tentantis inimici dum pie uiuerent in Catholica pace, uel etiam Hæreticorum conflictationem diuturno certamine perulerunt, longiorisq; & occultæ Martyrii poenas acceperunt. **Talium domine Deus preces** nunquam spernis, si ut pro me exorent ipse inspiraueris. Qui in æternitate perenni, uiuis & regnas cuncta per secula, & in omnibus seculis, Amen.

**O** Benignissime & clementissime pater, cuius filius nostri amore, cum **Roma. 8** adhuc impij essemus, formam serui accipiens, factus est pro nobis obediens usq; **Philip. 2** ad

Ambr. in  
precat. 2

Oblatio,  
passionis  
& mortis  
dominicæ

1. Ioan. 2

ad mortem, mortem autem crucis. Per  
hunc te humanitatis habitum, per huius  
humilitatis susceptionem deprecor, per  
huius sacratissimam obedientiam, per hu-  
ius beatissimam passionem & mortem,  
quam Ecclesia tua in hoc sacrificio (quod  
filius tuus instituit, & offerri in com-  
memoratione sui pro salute nostra præcepit)  
acceptissimam tibi hostiam pia recorda-  
tione iugi sacrificio offerri & repræsentat  
te oro, miserere mei per eundem filium  
tuum, qui se nobis ineffabili misericordia  
hic se præsentem exhibet, in dextera tua  
nihilominus manens, qui est unica propi-  
ciatio, pro peccatis nostris, non pro nos-  
tris autem tantum, sed etiam pro totius  
mundi.

*Ad elevationem corporis do-  
minici, dic:*

**S**alue salutaris uictima, pro me & to-  
to genere humano in patibulo crucis  
oblata Christe rex æterne, homo cruci-  
fixe propter hominem, respice sacratissi-  
mam carnem tuam, pro me cruci clavis  
affixam.

affixam, & lancea perforatam. Atque illa  
quæso pietas quæ te traxit & uicit, ut in  
statera gloriosissime crucis, totius mundi  
peccata expiares. Illa te cogat clementia  
ut miserearis mei pleni miseris, qui in fon-  
te miserationis nunquam manare cessas,  
custodiens animam & corpus meum in  
uitam æternam.

*Ad eleuationem Calicis.*

**S**alue nobilissime sanguis de latere do-  
mini mei Iesu Christi profluens, & to-  
tius ueteris & nouæ culpæ maculas dilu-  
ens. Ablue, sanctifica, & custodi animam  
meam in uitam æternam.

*Post eleuationem oratio  
ad Patrem.*

**O**Mnipotens pater qui sic dilexisti Lib. Medi-  
tatio. c. 5  
mundum, ut filium tuum unigeni-  
tum dares, ut omnis qui credit in illum,  
non pereat, sed habeat uitam æternam:  
per hunc dilectum filium tuum, cuius bea-  
tissimam passionem, & gloriosam resurre-  
ctionem, & in cœlos ascensionem reco-  
lo,

Io, te oro deduc de carcere animam meam  
ad confitendum nomini tuo, libera me a  
uinculis peccatorum, & quem propria  
merita faciunt lethalem timere sententiam,  
per huius dilecti filij tui ad dexteram tuam  
considentis interpellationem, restaura  
placatus ad uitam. Quem enim alium  
dirigam intercessorem tibi nescio, nisi  
hunc qui est propiciatio pro peccatis no-  
stris: qui sedet ad dexteram tuam interpel-  
lans pro nobis, aduocatus meus apud te  
Deum patrem, Pontifex summus, non  
alieno, sed proprio profusus cruore. Ho-  
stia sancta & beneplacens, & perfecta in  
odorem suauitatis oblata & accepta, ag-  
nus sine macula, qui peccatum non fecit,  
sed peccata nostra pertulit, & languores  
nostros suo liuore sanauit. Hic est, quem  
propter peccata populi tui percussisti, licet  
ipse sit dilectus, in quo tibi bene compla-  
cuit. Aspice mitissime pater dilecti filij  
tui humanitatem, & miserere super infir-  
mi plasmatis debilitatem. Vide redem-  
ptoris supplicium, et redempti dimitte  
delictum. Oro te Rex sanctorum per  
hunc

Ibidem.

Offertur  
Christus  
ipse patri  
In cruento  
sacrificio.

Cip. 5

hunc sanctum sanctorū, per hunc redem-  
ptorem meum, fac me currere uiam man-  
datorum tuorum, ut ei ualeam spiritu uni-  
ri, qui mea non horruit carne uestiri. Ie-  
sus Christus in secula benedictus, Amen.

*Deinde dic:*

**I**esu domine, Iesu pie, Iesu bone, qui mo- Cap. 3  
ri dignatus es propter peccata nostra,  
ac resurrexisti propter iustificationem no-  
stram: Rogo te per saluificam mortem,  
& per gloriosam resurrectionem & ascen-  
sionem tuam, fac me cōmori tibi, ut non  
regnet peccatum in mortali meo corpo-  
re, & resuscita me de sepulchro uitiorum  
& peccatorum meorum omnium in no-  
uitatem uitæ, & da mihi quotidie partem  
in resurrectione prima, ut in resurrectio-  
ne secunda merear ueraciter cum sanctis  
tuis percipere portionem. Trahe me sur-  
sum ad te, qui sedes ad dexteram patris.  
Trahe me ad te fontem uiuum, ut inde  
hauriens aquam uiuam, quæ facta in me  
fons saliens transire faciat à morte in ui-  
tam, ut occurram tibi redeunti ad iudiciū  
cum

cum omnibus sanctis tuis, uicturus cum  
illis semper tecum in caelis, Amen.

## *Ad memoriam defuncto-*

*rum.*

Ambr. in  
precat. 1.  
prepara-  
toria.

**R**Ogamus etiam te sancte pater, pro  
spiritibus fidelium defunctorum, ut  
sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas,  
gaudium & refrigerium sempiternum,  
hoc magnum pietatis sacramentum, Do-  
mine Deus meus, sit illis hodie magnum  
& plenum gaudium de te pane uiuo &  
uero, qui de caelo descendisti, & das ui-  
tam mundo, de carne sancta & benedi-  
cta, agni uidelicet immaculati, qui tollis  
peccatum mundi, & potari de fonte pie-  
tatis tuæ, qui per lanceam militis de latere  
emanauit crucifixi domini nostri, ut  
consolati exultent in laude & gloria tua  
sancta.

Mihi quoque domine indigno seruo  
tuo, secundum multitudinem miserationum  
tuarum miserearis, & concessa in  
presenti scelerum uenia, non me sicut in  
futuro seculo excruciarum cum impijs, sed  
aliquam



aliquam portiunculam donec cum fan-  
ctis tuis in cœlis, qui in tua membra coo-  
ptati, & in te unum corpus effecti, gratias  
(ob tuum pro se effusum preciosissimum  
sanguinem, quo illos lauisti) rependētes,  
pro te, & fratribus suis, gloriosum sangui-  
nem fundere non dubitarunt, qui te in uī-  
ta sua amauerunt, & in morte te sunt imi-  
tati, & ideo coronas triumphales merue-  
runt. Quorum me licet imparem meri-  
tis, participem tamen fac, sola misericor-  
dia tua, succurrentibus eorum meritis &  
précibus, Amen.

*Quando recitatur oratio*

*Dominica, dic:*

**N**ON auderemus te pater cœlestis,  
patris uocabulo compellare (indi-  
gnū qui serui dicamur tui) nisi tua gratuita  
bonitas per filium tuum nos in huius no-  
minis honorem adoptasset, et ille tui com-  
pellandi fiduciam addidisset, & precandi  
formulam præscripsisset. Agnosce ergo  
dilecti filij tui quam nos docuit oratio-  
nem, & effunde super nos spiritum pre-

G cum,

cum, & spiritum adoptionis filiorum Dei,  
qui testimonium ferat spiritui nostro, quod  
per illum simus filij tui, & clamet in cor-  
dibus nostris, Imò nos ardentibus uotis  
& desyderijs ad te suspirare & clamare  
faciat: Pater noster qui es in cœlis, &c.  
dic usq; in finem.

*Sequitur.*

**A**gnus Dei qui tollis peccata mun-  
di, miserere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, mi-  
serere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, do-  
na nobis pacem.

*Quando datur Pax, dic:*

**Philip. 4** **P**ax Dei, quæ uere credentibus datur  
ut gaudentes de remisso peccato, &  
donata gratia, mutua se charitate comple-  
ctantur, quæ & exuperat omnem sensum  
& intellectum, custodiat corda nostra &  
intelligentias nostras in Christo Iesu.

**Hebr. 13** Et Deus pacis qui eduxit de mortuis  
strem magnum ouium in sanguine

stamen

stamenti æterni, Dominum nostrum Ie-  
sum Christum, aptet nos in omni bono  
ut faciamus eius uoluntatem, faciatq; in  
nobis quod placeat coram se, per Iesum  
Christum, cui est gloria in secula seculo-  
rum, Amen.

*Oratio.*

**D**Eus à quo sancta desyderia & recta  
consilia & iusta sunt opera, da ser-  
uis tuis illam (quam mundus dare non po-  
test) pacem, ut & corda nostra mandatis  
tuis dedita, & hostium sublata formidi-  
ne, tempora sint tua protectione tranquil-  
la, per Christum dominum nostrum.

*Quando sacerdos sumit Corp-  
pus & Sanguinem doe-  
mini, dic:*

**D**omine non sum dignus ut intres  
sub tectum meum, dic tantum uer-  
bo & sanabitur anima mea. Respice me Luc. 18  
à longe stantem cum publicano, tunden-  
tem pectus & dicentem tibi: Deus propi-  
us esto mihi peccatori. Datrementi & Chryso.

G a ado-

August.  
lib. 1. de  
doct. Chri  
stia. & in  
c. credere  
de conse.  
distinct 3

adoranti tam horrenda mysteria spiritaliter saltem manducare carnem & bibere sanguinem tuum. Da mihi per uiam in te fidem, inuisibiliter saginari de te, dulciter uidelicet recolenti & credenti, benedictam carnem tuam pro me in cruce fractam & immolatam, & sanguinem tuum de latere tuo effusum, in remissionem peccatorum meorum. Da spiritu participare, ut tu in me, & ego in te manens, spiritu tuo uegeter & incendar ad currendam uiam mandatorum tuorum. Reple me spiritu unitatis & charitatis, & constabili me in societate omnium sanctorum tuorum, quæ etiam hoc diuinissimo sacramento signatur, quod ex his conficitur quæ in unum rediguntur. Da denique ut esuriam & sitiam, & toto corde desyderem hunc panem uitæ, qui de cælo descendit, non modo spiritu per fidem, sed et in Sacramento de mensa tua, pura & secura mente & casto corpore frequenter accipere, ut hinc non solum animæ meæ, sed et carnis substantia fulciatur & custodiatur in uitam æternam, Amen.

August.  
in c. 6. 10.

Quan

*Quando sumitur Sanguis,*

*dic:*

**S**anguis domini nostri Iesu Christi, Hebr. 9  
qui per Spiritum sanctum semetipsum  
obtulit immaculatum Deo, emundet con-  
scientiam nostram ab operibus mortuis  
ad seruiendum Deo uiuenti.

*Ad ultimam Collectam*

*dic:*

**D**eus qui nobis sub Sacramento mi-  
rabili passionis tuæ memoriam re-  
liquisti: Tribue quæsumus, ita nos corpo-  
ris & sanguinis tui sacra mysteria uenera-  
ri, ut redemptionis tuæ fructum in nobis  
iugiter sentiamus.

**A**ctiones nostras quæsumus domi-  
ne, et aspirando præueni et adiu-  
uando prosequere, ut cuncta nostra ope-  
ratio à te semper incipiat, & per te ince-  
pta finiatur.

**G**ratias tibi agimus domine sancte pa-  
ter omnipotens æterne Deus, pro

G 3

omni-

omnibus beneficijs & donis tuis, nobis  
per filium tuum in Spiritu sancto miseri-  
corditer exhibitis et impensis, quorum  
memoriam agimus licet indigni. Tibi  
laus, honor, & gratiarum actio, Deo no-  
stro in secula seculorum, Amen.

*Ad Benedictionem Sacer-  
dotis dic:*

**B**enedicat nos Deus pater: custodiat  
nos Iesus Christus: illuminet nos  
Spiritus sanctus omnibus diebus uitæ no-  
stræ, confirmet nos uirtus Christi, inter-  
cedentibus sanctis suis indulgeat nobis do-  
minus uniuersa delicta nostra, Amen.

*Initium sancti Euangelij secundum  
Ioannem.*

**I**N principio erat uerbum, et uerbum  
erat apud Deum, et Deus erat uerbum,  
Hoc erat in principio apud Deum, om-  
nia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum  
est nihil quod factum est, in ipso uita erat,  
et uita erat lux hominum, et lux in tene-  
bris lucet, et tenebræ eam non compre-  
hende-

henderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederēt per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera quæ illuminat oēm hominem uenientem in hunc mundū. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognouit. In propria uenit, et sui eum nō receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et uerbum caro factum est, et habitauit in nobis. Et uidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ et ueritatis.

Finis Precationum ad  
Missam.

G 4 QVAN.

# QVANDO

## COMMVNICARE

*uis corpori & sanguini*

*Dominico.*



**A**D MENSAM tui dulcissimi cōiun̄ domine Rex Angelorum, ego indignus peccator accessurus, uereor et contremisco, cor habens multis maculis aspersum, corpus non caute custodiui, mentem et linguam inquinui, et quidem cum peccatricis conscientiaē meæ librum reuoluo, uestem innocentiaē quam in Baptismo accepi grauitèr conscissam inuenio, uulnerumq; meorum cicatrices (quas ex consensu humanae fragilitatis et insipientiaē meæ aduersarius mihi inflixit) magis corruptas quàm sanatas agnosco, Vnde miser ego inter angustias apprehensus quid eligam ignoro. Scio enim uerba tuæ reuerendæ ueritatis, quibus exhortatus es nos dicens: Nisi manducaue



ducaueritis carnem meam, et biberitis Ioan. 6  
sanguinem meum, non habebitis uitam  
in uobis: Sed propter grauia & multipli-  
cia delicta mea, exterrent me uerba Apo-  
stoli tui, quibus comminatus est dicens:  
Qui manducat carnem Domini, & bibit 1. Cor. 11  
sanguinem eius indigne, iudiciũ sibi man-  
ducat & bibit. Verum ò beata & pia diui-  
nitas, O tremenda maiestas, O ineffabilis  
& inscrutabilis sanctitas, quò ibo à spiritu  
tuo, & quò à facie tua fugiam? Siquidem  
corda scrutaris, et conscientiarum quæq;  
secretissima, nude & aperte intueris. Ad  
te ergo fontem misericordiae lauãdus re-  
curro, ad te pium Samaritanum, infirmi- Luc. 10  
tatis humanæ singularem medicum, sa-  
nandus festino. Ad te confugio, & quem  
Iudicem sustinere nequeo Saluatorem ha-  
bere desydero. Tibi plagas meas domi-  
ne ostendo, tibi uerecundiam meam de-  
tego. Video peccata mea magna & mul-  
ta, & timeo. Video suauitatem et miseri-  
cordias tuas, quarum non est numerus, et  
sperare audeo.

**D**omine Iesu Christe Rex æterne,  
homo crucifixe propter hominē,  
respice sacratissimam & uirginalem car-  
nem tuam, cruci clauis affixā, lancea per-  
foratam, & uerberibus dire et miserabili-  
ter flagellatam. Recordare quoq; sacro-  
sancti sudoris tui, qui factus est sicut guttę  
sanguinis decurrentis in terram. Et hæc  
omnia & multo plura te pro me sustinuis-  
se memento. Illa ergo pietas quæ te tra-  
xit et uicit, ut in statera gloriosissimæ cru-  
cis, totius mundi peccata expiares, ipsa te  
commoueat et cogat clementia, ut mise-  
rearis mei pleni miseris. Tu qui in fonte  
miserationis nunquam manare cessas.

**S**alue salutaris uictima, pro me & hu-  
mano genere in patibulo crucis obla-  
ta. Salue nobilissime sanguis, de latere do-  
mini nostri Iesu Christi profluens, et toti-  
us ueteris et nouæ culpæ maculas diluēs.  
Per hunc tuum preciosissimum sangui-  
nem, clementissime domine Iesu laua me  
ab omnibus iniquitatibus meis, ut purifi-  
cato corde et spiritu degustare merear san-  
cta

Etā sanctorum. Sitq; mihi hoc uenerabile  
Sacramentum, contra hostiles insidias  
inexpugnabile præsidium, ut salutarium  
refectus, lubricas huius uitæ uias, im-  
maculato calle transire merear, & ad te  
dominum Angelorum sine impedimen-  
to diabolicæ accusationis peruenire uale-  
am, Iesum Christū, per quem creatus sum  
cum non essem, reparatus sum cum perdi-  
tus essem, Qui uiuis et regnas &c.

*Alia Oratio.*

**D**omine Iesu Christe qui es cum pa-  
tre et Spiritu sancto unius essentia  
Deus, in quo est uera omnium peccatorum  
remissio, per quem salus & uita præstatur  
æterna. Qui Publicanum confitentem iu-  
stificasti: Chananaeam humiliter inuocan-  
tem exaudisti, Petrum te negantem respe-  
xisti, flentem quoq; misericorditer susce-  
pisti, et Latroni confitenti ueniam cum  
gloria Paradisi donasti: Da mihi pecca-  
tori ueniam omnium scelerum meorum,  
ut huius sacrosancti corporis & sanguinis  
tui communicatio, ad quam festino, non  
sit

sit mihi ad iudicium condemnationis.  
Sed ad remedium proficiat salutis, Per  
omnia secula seculorum, Amen.

*Alia.*

Ambr. in  
Orat. 1.  
preparat.

**D**omine Iesu Christe rogo te per sa-  
cro sanctum mysterium corporis  
& sanguinis tui, quo in Ecclesia tua pasci-  
mur & potamur, abluimur & sanctifica-  
mur, atq; unius summæ diuinitatis partici-  
pes efficiamur. Ut des mihi uirtutes tuas  
sanctas, quibus repletus, bona conscientia  
ad altare tuum accedam. Ita ut hæc cœle-  
stia Sacramenta efficiantur mihi salus &  
uita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & be-  
nedicto. Panis quem ego dederò caro  
mea est, pro mundi uita: Et qui manducat  
me, uita uiuet propter me. Ipse manet in  
me & ego in eo. Ego sum panis uiuus qui  
de cœlo descendi, Si quis manducauerit  
ex hoc pane uiuet in æternum.

Ibidem.

Panis dulcissime sana palatum cordis  
mei ut sentiam suauitatem amoris tui, Sa-  
na ab omni languore, ut nullam præter  
te amem pulchritudinem. Panis candi-  
dissime

diffime habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos semper reficis, comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur uiscera animæ meæ. Manducet te Angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in uia tali recreatus uiatico.

Panis sancte, panis uiue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das uitam mūdo, ueni in cor meum & munda me, ab omni inquinamento carnis & spiritus, intra in animam meam, sana & sanctifica me intus & exterius, Esto tutamen et perpetua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi hostes. Recedant procul à præsentia tua, ut foris & intus per te munitus recto tramite perueniam ad tuum regnum, ubi non mysterijs sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te uidebimus Ibidem. 1. Cor. 15 cum tradideris regnum Deo patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate mirifica, ut nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo

Deo Patre & Spiritu sancto uiuis & re-  
gnas, per omnia secula seculorū, Amen.

*Post Communionem.*

Augustin.

**A**Go tibi gratias domine Iesu Chri-  
ste, quod me indignum peccato-  
rem participem dignatus sis facere pre-  
ciosi corporis & sanguinis tui. Accende,  
illumina, & sanctifica me uas tuū, de ma-  
litiā euacua, imple de gratia, & plenum  
conserua, ut uiuam de te, uadam post te,  
perueniam ad te, & repausem in te domi-  
ne Deus meus, Amen.

SE Q V V N =

T V R Q V A E D A M

*aliæ piæ Precationes quæ quocun-  
que tempore dici poterunt.*

*Ad Deum Patrem.*

Ex oratio  
ne D Cy-  
priani.



**D**EVS Pater domini nostri  
Iesu Christi filij tui, Deus Pa-  
triarcharum, Deus Prophe-  
tarum.

tarum, Deus Apostolorum, Deus Mar-  
tyrum, Deus Virginum, Deus Creden-  
tium: Te deprecor pater Maieftatis, qui  
in fine temporum misertus es nostri: mit-  
tens nobis Iesum Christum filium tuum,  
dominum Deum Saluatorem nostrum,  
natum ex Maria uirgine, de Spiritu fan-  
cto, annunciante Gabriele Angelo, per  
quem nos liberafti de periculo mortis im-  
minentis. Te rogo domine subueni mihi,  
noli me secundum actus meos iudicare,  
non enim parui præceptis tuis. Sed Exo-  
mologesin facienti ante conspectum tuum,  
pro uniuersis peccatis meis, qui es amator  
pœnitentiæ, miserere mei. Et ut Dauid  
orat, Domine propter nomen tuum dele  
peccatum meum. Ita & ego deprecor Ma-  
ieftatem tuam, dele uniuersa peccata mea,  
fac ut fide illibata, mente incorrupta, de-  
uotione robusta, dilectione & operatio-  
ne continua, in Ecclesia sancta tua persi-  
stam, & libera me ab igne & pœna peren-  
ni, et ab omni tormento quod parasti ini-  
quis, per bonum & benedictum Iesum  
Saluatorem nostrum, per quem tibi laus,  
honor,

honor, uirtus, & gloria in secula seculorum,  
Amen.

*Ad Filium Dei.*

**Ex codē.**  
**Ioan. 2**  
**Matth. 15**  
**Matth. 8**  
**Matth. 14**  
**Matth. 7**  
**Luc. 11**  
**Ioan. 14**  
**& 16**

**D**omine Iesu Christe fili Dei ueni,  
qui fecisti tanta mirabilia, qui in Ca  
na Galileæ de aqua uinum fecisti, qui cœ  
cis oculos aperuisti, qui surdos audire fe  
cisti, qui paralyticos ad sua membra reuo  
casti, qui soluisti linguas blesorum: Dæ  
monio uexatos sanasti, claudos curren  
tes fecisti uelut ceruos, mulierem de pro  
fluio sanguinis liberaſti, leproſos munda  
ſti, mortuos ſuſcitaſti, ſupra aquam pe  
dibus ambulati, et Petro labenti manum  
tradidiſti. Qui paſſus es ſub Pontio Pila  
to, qui crucifixus deſcendiſti et conculca  
ſti aculeū mortis. Qui reſurrexiſti à mor  
tuis, & apparuiſti Apoſtoliſ tuiſ. Qui ſe  
des ad dexteram patris, & uenturus es iu  
dicare uiuos & mortuos. Tu ipſe nobis  
Teſtamentum feciſti, Petite & accipietis,  
pulfate & aperietur uobis, Quodcunq; à  
patre petieritiſ in nomine meo, ego à pa  
tre petam ut accipiat. Peto igitur ut acci  
piam



p̄iam, quæro ut inueniam, ego pulso ut  
aperiatur mihi. Ego in tuo nomine peto,  
ut tu à patre petas, & detur mihi. Interpel-  
la pro peccatis meis, libera me ab aduer-  
saria potestate. Da opem uincendi inimi-  
cum, & libera me in die iudicij tui, de æter-  
næ mortis interitu, quoniam tu es potens  
assertor & aduocatus precum, & domi-  
nus animarum nostrarum, cui flectimus Philip. 8  
genua, & curuamus ceruices, cui omnes  
linguæ confitentur cœlestium, terrestriũ  
& infernorum, quia tu es in gloria Dei  
patris, Amen.

### *Oratio ad Spiritum sanctum.*

**A** Adesto sancte Spiritus, & paracle- Cyprian.  
sim tuam expectantibus, illabere in sermo.  
cœlitus, sanctifica templum corporis no- de sancto  
stri, & consecra in habitaculum tuum, de- spiritu.  
siderantes te animas tua præsentia lætifi-  
ca, dignam te habitatore domum compo-  
ne: Adorna thalamum tuum, & quietis  
tuæ reclinatorium circunda uarietatibus  
uirtutum: sterne paulmenta pigmentis, ni-  
teat mansio tua carbunculis flammeis, &

H            gemma

gemmarum splendoribus, & omnium  
Charismatum intrinsecus spirent odora-  
menta: affatum balsami liquor, fragrantia  
sua cubiculum tuum imbuat, et abigens  
inde quicquid tabidum est, quicquid cor-  
ruptelę seminarium, stabile & perfectum  
hoc facias gaudium nostrum, & creatio-  
nis tuę renouationem in decore immar-  
cessibili solidas in æternum, Amen.

*Alia ad Deum Patrem*

*Oratio.*

**O**Mnipotens Deus Pater sancte &  
bone, qui nos sic dilexisti ut etiam  
proprio filio non parceres, sed pro nobis  
impijs traderes illum, te rogo, libera me  
ab omnibus malis per hunc redēptorem  
nostrum, sedentem ad dexteram tuam,  
per ipsum me iustifica, qui peccatum non  
fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.  
Per ipsum caput nostrum, in quo nulla  
est macula, libera membrum eius licet in-  
firmum & exiguum. Libera me quæso à  
peccatis, uicijs, culpis, et negligētjs meis.  
Et reple me sanctis tuis uirtutibus, & fac  
me

me bonis pollere moribus, fac me in sanctis operibus tuis propter nomē sanctum tuum perseverare usq; in finem, secundum tuam voluntatem, Per eundem dominū nostrum Iesum Christum filium &c.

### *Ad Filium.*

**O** Iesu Christe fili Dei, fili q; hominis Deus noster. Nostram quæsumus fragilitatem agnosce, nobis fictilibus ignosce peccātibus, miserere te rogantibus, ut per hominem pro nobis interpelles, et per tuam sempiternam Diuinitatem cum Patre & Spiritu sancto nobis tuis famulis miserearis. Et quia præter te nullum remedium speramus, te clementem Iudicem habeamus. Scis enim cor nostrum quia cito est ad malum proclive, ut suscipiamur in humilitate tantum cordis contriti precamur. Quia nihil aliud habemus uotium, nihil beneplacitum quod tibi offeramus, nisi cordis contriti & humiliati sacrificium quod credimus à te non sperari misericors Deus.

## *Ad Spiritum sanctum.*

Augustin.  
lib. Medit.  
cat. ca. 9

**O**Mnipotens paraclete Spiritus ex Patre Filioq; procedens, diuini numinis amor, iam cordis mei penetralibus potenti illabere uirtute, et tenebras cordis mei luminis tui fulgore pius inhabitator illustra, ariditatemq; pectoris mei tui diuini roris abundantia uisitando fœcunda, Saucia interioris hominis arcana, tui amoris iaculo, sanctiq; feruoris igne torpentem accende, pota me torrente uoluptatis tuæ, ut nihil degustare libeat mundanæ uenenatæ dulcedinis. Veni humilium doctor, superborum destructor, ueni mundator scelerum, curator uulnerum, ueni fortitudo fragilium, releuator labētium, ueni benignissime dolentis animæ consolator, ueni sanctissime Spiritus, ueni et miserere mei. Aptam me tibi & condescende propitius mihi, ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roboriq; tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarū complaceat miserationum, per Iesum Christum Saluatorem meum, qui cum Patre  
in tua

intra unitate uiuit & regnat in secula se-  
culorum, Amen.

*Alia Oratio de passione domini  
nostri Iesu Christi, quæ S.  
Augustino ascri-  
bitur.*

**D**EUS qui pro redemptione mundi  
uoluisti nasci, circumcidi, à Iudæis  
improbari, à Iuda traditore osculo tradi,  
uinculis alligari, & sicut agnus innocens  
ad uictimam duci, atq; ad conspectus An-  
næ, Caiaphæ, Pilati & Herodis indecen-  
ter offerri, à falsis testibus accusari, flagel-  
lis & opprobrijs uexari, sputis conspui,  
spinis coronari, colaphis cædi, arundine  
percuti, facie uelari, uestibus spoliari, cru-  
ci clauis affigi, in cruce leuari, inter latro-  
nes deputari, felle & aceto potari, & lan-  
cea uulnerari. Tu domine per has sacra-  
tissimas pœnas tuas, quas ego indignus  
recolo, et per sanctâ crucem ac mortem  
tuam libera me à pœnis inferni, & perdu-  
cerè me digneris quo perduxisti Latio-

In calce  
Tomi deo-  
cini.

nem tecum crucifixum. Qui cum patre  
& spiritu sancto uiuis & regnas Deus per  
omnia secula seculorum, Amen.

*Oratio diui Gregorij ad do-  
minum Iesum.*

Reperi-  
tur com-  
mentarijs  
eius in 7.  
Psalmos  
pœnitent-  
iales sub  
iecta.

**B**ONE Iesu uerbum Patris, splendor  
paternæ gloriæ, in quem desyderant  
Angeli prospicere, doce me facere uolun-  
tatem tuam, ut spiritu tuo bono deductus,  
ad beatam illam perueniã ciuitatem, ubi  
est dies eternus, et unus omnium spiritus,  
ubi est certa securitas & secura æternitas,  
& æterna tranquillitas, & tranquilla fœli-  
citas, & fœlix suauitas, & suauis iocundi-  
tas, ubi tu Deus cū patre & spiritu sancto  
uiuis et regnas per infinita seculorum se-  
cula, Amen.

*Alia.*

August.  
lib Medi-  
tat. c. 2.

**D**OMINE Deus salutis meę, qui osten-  
disti mihi bene uiuendi uiam, mi-  
natus es mihi gehennam, et pollicitus es  
Paradisum. Tu pater misericordiarum et  
Deus totius consolationis confige timo-  
re tuo

re tuo carnes meas, ut quæ minaris metuendo euadam, et redde mihi lætitiã salutaris tui, ut quæ spondes diligendo, percipiam.

**P**le et misericordissime domine ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam, preces serui tui exaudi, et da mihi effectũ petitionis meæ et desiderij mei, intercedente et orante et impetrante gloriosa uirgine genitrice tua Maria, domina mea, cum omnibus sanctis tuis; Amen.

Eodẽ lib.  
cap. 35

*Ad beatissimam uirginem Matrem Oratio Ecclesiæ.*

**S**ancta Maria mater domini nostri Iesu Christi, pia et perpetua uirgo, cum omnibus sanctis et electis Dei, intercedere dignare pro nobis miseris peccatoribus ad dominum Deum patrem omnipotentem, ut mereamur ab eo adiuuari, saluari, protegi et defendi, Qui in Trinitate perfecta uiuit et regnat Deus in secula seculorum, Amen.

*Supplex Canticum in laudem eiusdem  
dem sacratissimæ uirginis.*

Canticum non modo dulcissimum, sed  
et artificij non uulgaris, si consyderes  
ut inibi mater filij Dei aptissimis epi-  
thetis confertur per contrarium, ad ma-  
trem infœlicitatis nostræ Euam, cuius  
ἀντίτυπον est.

**S**alue Regina misericordie,  
Vita dulcedo & spes nostra salue,  
Ad te clamamus exules filij Eue,  
Ad te suspiramus gementes & flentes in hac la-  
chrymarum ualle.

Metono-  
mya. Vide  
nostrā ex  
positionē  
Angelicæ  
salutatio-  
nis.

Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericor-  
des oculos ad nos conuerte:

Iren. lib. 5  
cōtra hæ-  
reses.

Et Iesum benedictum fructum uentris tui, nobis  
post hoc exilium ostende,

O clemens Maria,

O pia Maria,

O dulcis Maria.

Hoc Canticum magnopere placuit diuo Bern-  
kardo, receptum & usitatum in Ecclesia annis non  
minus quingentis, ascribitur Hermanno Contra-  
cto, Comiti, eruditissimo & p̄ssimo sui temporis  
Monacho. Per Abbatem Tritemium.

**Aliud**



*Aliud simile.*

**H**Aec est præclarum vas Paracleti Spiritus  
sancti. Luc. 1

Hec est gloriosa ciuitas Dei,

Psalm. 80

Hec est mulier uirtutis, quæ contriuit caput  
serpentis.

Chrysoft.

Gene. 3. le

git (Ipsa)

Homil. 17

in Genes.

Hec est sole speciosior, luna pulchrior.

Aurora rutilantior, Stellis præclarior.

Hanc peccatores deuote adcamus,

Rea pectora tundamus, dicentes:

Sancta, Sancta, Sancta Maria,

Clemens & pia domina nostra,

Fac nos tuis precibus consortes cœlestis gloriæ,  
Amen.

Vers. Aue maria gratia plena domi-  
nus tecum: Benedicta tu in mulieribus  
& benedictus fructus uentris tui.

*Oremus.*

**I**Nterueniat pro nobis quæsumus domi-  
ne Iesu Christe, nunc & in hora mortis  
nostræ apud tuam clementiam gloriosis-  
sima uirgo Maria mater tua, cuius sacra-  
tissimam animam in hora mortis & passi-  
onis tuæ doloris gladius pertransiuit,

H S Qui

Qui uiuis & regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

*In ferijs Paschalibus.*

Gregorio  
tribuitur.

**R**egina cœli letare, Halleluia.  
Quia quem meruisti portare, Halleluia.

Resurrexit sicut dixit, Halleluia.

Ora pro nobis Deum, Halleluia.

**Vers.** Gaude Dei genitrix uirgo Halle.

Quia surrexit filius tuus Halleluia.

*Oratio.*

**P**rofit nobis quæsumus omnipotens pater, & præcipue inter hæc festa Paschalia (filij tui) solennia, continuata Dei genitricis & uirginis Mariæ memoria. Quæ & astitit uulnerata charitate in cruce pendenti, & nunc Regina astat in cœlo regnanti, Eidem Iesu Christo filio tuo domino nostro, Qui tecum uiuit & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

*Ad omnes Sanctos.*

Augustin.  
lib. Medi-  
tati. c. 40

**S**ancta et immaculata Dei genitrix uirgo Maria, interuenire pro me digneris

ris apud illū, cuius meruisti effici templū.  
Sancte Michael, Sancte, Gabriel, Sancte  
Raphael, sancti Chori Angelorum, atque  
Archangelorum, Patriarcharū atq; Pro-  
phetarum, Apostolorum, Euangelistarū,  
Martyrum, Confessorum, Sacerdotum,  
Leuitarum, Monachorū, Virginum, om-  
niumq; Iustorum : per illum qui uos ele-  
git, & de cuius contemplatione gaudetis,  
uos rogare præsumo, ut pro me culpabi-  
li, ipsi Deo supplicare dignemini, quate-  
nus de faucibus Diaboli, & de morte per-  
petua merear liberari.

*Alia.*

**F**Oelices animi, qui iam pertransistis  
huius mortalitatis pelagus, & perue-  
nire meruistis ad portam perpetuæ quie-  
tis, securitatis, & pacis, securi & tranquilli  
semperq; festiui atq; gaudentes. Obsecro  
uos per uestrā charitatem, qui securi estis  
de uobis, solliciti estote de nobis, qui secu-  
ri estis de uestra immarcessibili gloria,  
solliciti estote de nostra multiplici mise-  
ria. Per ipsum uos rogo qui uos elegit,  
qui

August.  
lib. Medi-  
tat. ca. 24

qui uos tales fecit, de cuius pulchritudine iam fatiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima uisione semper gaudetis. Estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in falo huius uitæ circumstantibus agitamur procellis. Intercedite & orate constanter & indefinenter pro nobis miseris, multumq; negligentibus peccatoribus, ut per uestras orationes, uestro sancto consortio coniungamur. Orate dominum, orate pijsimi, orate omnia agmina sanctorum, & uniuersi cœtus beatorum, ut uestris precibus meritisq; adiuti salua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis & quietis & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis, ubi uos estis, ubi uos gaudetis, ubi cum Deo sine fine regnatis.

*Apostrophe ad uirginem  
matrem.*

**T**V præcipue, tu ante omnes & super omnes Regina cœli, & domina terræ, uirgo semper sanctissima, mater  
Dei

**D**eus & domini nostri Iesu Christi, tu ora pro nobis, ut genti peccatrici & populo pleno peccatis, tuis precibus, tuisq; sanctis meritis misereatur nobis omnipotens Deus, filius tuus, qui te nihil negans honorat, idem Iesus Christus in secula benedictus, Amen.

*Oratio Ecclesie.*

**S**aluator mundi, salua nos omnes, sancta Dei genitrix uirgo semper Maria ora pro nobis, precibus quoque Sanctorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, atq; sanctarum Virginum suppliciter petimus, ut à malis omnibus eruamur, bonisq; omnibus, nunc & semper perfrui mereamur, Amen.

Finis Precationum.

**BENE-**

# BENEDI CTIO MENSÆ.

*qua primum usi uidentur Cleri-  
ci & Monachi pariter con-  
uiuantes, postea recepta  
ad quæuis conuiuia.*

LECT.



EN Edicite. CON. Dñs.  
LECT. Gustate & uidete  
quoniam suavis est domi-  
nus, beatus uir qui sperat  
in eo.

Gloria patri & filio & spiritui sancto.

CONVI. Sicut erat in principio & nunc  
& semper & in secula seculorū Amen.

LECT. Kyrie eleison. CONVI. Chri-  
steeleison. LECT. Kyrie eleison.

Omnes  
pariter.

Pater noster, &c. Aue Maria, &c.

SACERDOS seu Paterfamilias.

Et ne nos inducas in tentationem.

CONVI. Sed libera nos à malo.

Sacerd. Oremus.

Bene-

**B**enedic nos domine, & hæc dona tua,  
quæ de tua largitate sumus sumpturi  
per Christum dominum nostrum.

Omnes: Amen.

**LECT.** Iube domine benedicere.

**SACERD.** Mensæ cœlestis participes  
faciat nos Rex æternæ gloriæ.

Omnes: Amen.

*Lectio.*

**LECT.** Deus charitas est, & qui manet  
in charitate in Deo manet, & Deus in  
eo, Et ipsa charitas nos benedicat, &  
ad uitam æternam perducatur, Amen.

*Gratiarum actio post cibum, prio-  
ri benedictioni similis.*

**LECTOR:**

**D**E tali conuiuio benedicamus dño.  
**CONVI.** Deo gratias.

**LECT.** Gratias agimus tibi domine Ie-  
su Christe, pro uniuersis donis & bene-  
ficijs tuis, qui uiuis & regnas Deus per  
omnia secula seculorum.

**CONVI.** Amen.

**Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie elei.**  
**Pater**

Preces p Pater noster, &c. Ave Maria, &c.  
 benefacto Et ne nos inducas, &c. Sed libera &c.  
 rib<sup>9</sup> uiuis. LECT. Disperfit dedit pauperibus.  
 Psalm. 111  
 2. Cor. 9 CON. Iustitia eius manet in seculū seculi.  
 Psalm. 33 LECT. Benedicā dñm in omni tempore.  
 CONVI. Semper laus eius in ore meo.  
 Ibidem. LECT. In dño laudabitur anima mea.  
 CONVI. Audiant mansueti & lætentur.  
 Ibidem. LECT. Magnificate dominum mecum.  
 CON. Et exaltemus nomen eius in idipm  
 Psal. 112 LECT. Sit nomen domini benedictum.  
 CONVI. Ex hoc nunc & usq; in seculū.

*Presbyter seu Paterfamiliás:*

*Oremus.*

**R**etributor omnium bonorum Deus,  
 retribuere omnibus nobis bona fa-  
 cientibus, propter nomen sanctum tuum  
 uitam æternam, Amen.

Preces p LECT. Et animæ omnium fidelium de  
 benefacto functorum per piam misericordiā Dei  
 ribus mor sine fine requiescant in pace, Amen.  
 tuis. LECT. Kyrie eleison. CONVI. Chri-  
 ste eleison. LECT. Kyrie eleison.  
 Pater noster. Ave Maria, &c.

**Et**



**LECT.** Et ne nos inducas, &c.

**CONVI.** Sed libera nos, &c.

**LECT.** Benedicite. **CON.** Dominus, sub audt  
benedicat  
*Votum Generale.*

**LECT.** Dominus det uiuis gratiā, De-  
functis requiem, Ecclesiæ pacē, nobis  
aut miseris peccatoribus, post hanc ui-  
tam, uitam & lætitiā sempiternam.

**CONVI.** Amen.

*Alia ex Chrysostomo,  
Benedictio.*

**B**enedictus Deus qui pascis me à iu-  
uentute mea, Qui das escam omni  
carni, imple gaudio & lætitiā corda no-  
stra, ut omnem sufficientiam habentes,  
abundemus in omne opus bonū, in Chri-  
sto Iesu domino nostro, cum quo tibi glo-  
ria, honor & imperium, cum sancto spiri-  
tu in secula, Amen.

Homil. 57  
Tom. 4

*Gratiarum actio post cibum  
sumptum.*

**G**Loria tibi dñe, Gloria tibi sancte,  
Gloria tibi Rex, quoniam dedisti no-  
bis cibos in lætitiā, imple nos spū sancto,  
ut inueniamur in conspectu tuo beneplac-  
centes,

tentes, non erubescences quando reddes  
unicuique secundum opera sua, Qui cum  
Deo patre & spiritu sancto, &c. Amen.

*Arthanasius sequentem formulam  
(paulo prolixiore) uirgini  
sacræ præscribit.*

In libello  
de Virgi-  
nitate siue  
de exerci-  
tatione.

*Comede panem tuum gratias agens Deo super  
mensam tuam hunc in modum.*

**B**enedictus Deus qui alis nos à iuuen-  
tute nostra, qui das alimoniam om-  
ni carni, imple gaudio & lætitia cor no-  
strum, ut semper oëm habentes sufficien-  
tiam, abundemus in omne opus bonum  
in Christo Iesu domino nostro, cum quo  
tibi gloria, honor, & imperium, una cum  
sancto spiritu in secula seculorū, Amen.

*Cumq; accumbens mensæ cœperis  
frangere panem, primum ter signato,  
deinde gratias agens dicito.*

**G**ratias agimus tibi pater noster pro  
sancta resurrectione, per Iesum em̄  
filium tuū, notam nobis eā fecisti, ut quē-  
admodum hic panis erat super mensam  
distributus, & cōgregatus factus est unū,  
sic

tuā cōgregetur Ecclesia à finibus terræ  
in regnum tuū, Quoniā tuā est potentia et  
gloria in secula seculorum, Amen.

*Vbi uero surrexeris à mensa*

*rursus gratias agens dicito ter.*

Misericors & miserator dominus, cibum  
dedit timentibus ipsum.

Gloria patri & filio &c. Sicut, &c.

*Postq̄ gloriam Deo dictam rur-*

*sus perfice precationem sic dicens:*

**D**Eus omnipotens, ac dominus no-  
diter Iesus Christus nomē quod est  
supra nomen, gratias agimus tibi ac lau-  
damus te, q̄ nos tuorum bonorum fecisti  
participes, uidelicet corporalium alimen-  
torum. Rogamus et obsecramus te dñe, ut  
cœlestes nobis epulas largiaris: da nobis  
tremere ac reuereri adorandum ac pre-  
tiosum nomen tuū, ne prætergrediamur  
præcepta tua. Legem tuā & iusticias tuas  
inlere cordib⁹ nostris. Sanctifica uero spi-  
ritum nostrum, animā nostram et corpus  
nostrū, per dilectū filium Iesum Christū  
dñm nostrum, cū quo tibi gloria, honor,  
& imperium in secula seculorū, Amen.

# PRECES DICENDAE CUM *uadis cubitum.*

Ita monet  
Chrysoft.  
Homel. in  
Psalm. 50



**P**RIMUM recogita actus  
tuos & delicta eo die cōmis-  
sa, & pœnitenti corde dic tu-  
am confessionem.

Confiteor omnipotenti Deo cœli, &  
beatæ Mariæ uirgini & omnibus sanctis  
Dei: Quòd ego infœlix peccator peccaui  
nimis, hodie & in tota uita mea, contra le-  
gē Dei mei, cogitatione, locutione, & ope-  
re, mea culpa, mea maxima culpa: Ideò  
precor te gloriosam uirginē Mariam, &  
oēs sanctos Dei, orate pro me peccatore.

*Deinde dic tres priores uersus ex Psalm. 50.*

Miserere mei Deus secundū magnā mi-  
sericordiam tuam. Et secundū multitudi-  
nem miserationum tuarum, dele iniquita-  
tem meam. Amplius laua me ab iniqui-  
tate mea, & à peccato meo mundo me.  
Et tundens pectus dic: Deus propitius  
esto mihi peccatori.

**Postea**

**Postea dic Hymnum.**

**C**hriste qui lux es & dies,  
Noctis tenebras detegis,  
Luce & lumen crederis,  
Lumen beatum predicans.

Precamur sancte domine,  
Descede nos in hac nocte,  
Sit nobis in te requies,  
Quietam noctem tribue.

Ne grauis somnus irruat,  
Nec hostis nos surripias,  
Nec caro illi consentiens,  
Nos tibi reos statuatur.

Oculi somnum capiant,  
Cor semper ad te uigilet,  
Dextera tua protegat,  
Famulos qui te diligunt.

Defensor noster aspice,  
Insidiantes reprime,  
Guberna tuos famulos,  
Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri domine  
In graui isto corpore,  
Qui es defensor animæ,  
Adesto nobis domine.

Deo patri sit gloria,  
Eiusq; soli filio,  
Cum spiritu paraclito,  
Et nunc & in perpetuum, *Amen.*

Deinde dic:

**Gratias tibi ago domine sancte pater qui**

**I 3**

**me**

me peccatorem, non meis meritis, sed tua  
sanctissima gratia hunc diem transigere  
fecisti, concede ut hac quoque nocte, in tua  
pace transacta, resurgam ad seruiendum  
tibi Deo uiuenti.

Salua nos domine uigilantes, custodi  
nos dormientes ut uigilemus cum Chri-  
sto, & requiescamus in pace.

Kyrie eleison, Christeeleison, Kyrie-  
leison. Pater noster. Aue Maria, &c.  
Credo in Deum patrem, &c.

Dignare domine nocte ista.

Sine peccato nos custodire.

Miserere nostri domine:

Miserere nostri.

Fiat misericordia tua domine super nos:

Quemadmodum sperauimus in te.

Esto nobis domine turris fortitudinis:

A facie inimici.

Domine exaudi, &c. Et clamor, &c.

### *Oratio.*

**I**llumina quæsumus domine tenebras  
nostras, & totius huius noctis insidias,  
tu à nobis repelle ppitius, salua nos quæ-  
sumus omnipotens pater, & lucem tuam  
nobis

nobis concede perpetuam, per Christum  
dominum nostrum.

*Ingressus lectum signa te, & dic:*

In nomine patris & filij & spiritus sancti.

Custodi nos domine ut pupillam oculi:

Sub umbra alarum tuarum protege nos.

In manus tuas domine commendo spiritum  
meum:

Redemisti me domine Deus ueritatis.

*Tibi honor & gloria in secula*

*seculorum, Amen.*

Et sic indormi.

F I N I S.

E R R A T A.

A 4. pag. 2. In annotationum, pro (Rom. 4.)  
lege Tomo 4.

A ultimo pag. 2. linea 16. lege Serpens decepit  
me & comedi.

B 5. pag. 1. Dei genetricem.

C pag. 2. linea 2. post gressus suos, adde Gloria  
patri, &c.

C 3. pag. 2. linea 13. lege bibet.

D 1. pag. 2. in annotatione, lege contra naturā.

D 4. pag. 1. linea 2. lege, ut uincas.

D 5. pag. 1. in annotat. lege, Chrysofomi.

E 1. fa. 2. linea 5. lege, usquequo.

serijs oblectati, assurgeret, cano-  
nicis ecclesie precibus sensim assue-  
scent, & ecclesiasticam imberent  
pietatem, praesertim quae aiebas, &  
uere quidem, in formulis precum  
quas Sectae subinde inuulgant idem  
quod in Catechismis usu uenire, ut  
uidelicet in illis multa reperias quae  
catholicam auersentur pietatem, multa  
uicissim substituta, quae etsi specioso  
uerborum inuolucro tegantur, haereti-  
cam tamen redoleant impietatem. En  
babes quod petebas. Tu uide ne om-  
nino frustra hanc iam alteram opellam  
in gratiam iuuentutis sumpsisse ui-  
dear, quod certe sic effeceris, si pue-  
ros quod chartis illitum est, non mo-  
do legere sed & intelligere ac me-  
ditari doceas, hoc est, ut precentur

&